AD EDICTA VETERVM PRINCIPVM DE *Licentia Sectarum in Christiana religione.*

Item,

Methodus contra Sectas, quam sequuti sunt primi Catholici imperatores.

Ad illustrissimum Cardinalem a Lotharingia.

Per F. Claudium de Sainctes Lutetiae Theologum.

Discerne causam meam de gente non sancta, & ab hominibus iniquis eripe me. *Psal.* 46.

PARISIIS,

Apud Claudium Fremy, via Iacobaea, ad insigne Sancti Martini.

1561.

Cum priuilegio.

ILLVSTRISSIMO PRINcipi ac Christianissimo Cardinali, Carolo a Lotharingia, frater Claudius de Sainctes, S. D.



T ex primis Christianis ad verbum scripsit Egesippus, illustrissime Princeps, superstitib⁹ Apostolis in obscura quadam caligine delitescebant hæretici. Sed postquam sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finē, tunc impij erroris conspiratio, per seductionē eorum qui alienam doctrinam tradebant, initium cœpit. Quoniam iam nemo supererat ex Apostolis, aperta fronte ac nudo vertice, contra veritatis prædicationem falsi nominis scientiam ex aduerso prædicare peruersi, conati sunt. Virginem Ecclesiam a Christo commendatam adulterabant, eiusque possessionem, antequam adolesceret, dilapidabāt. Quoniam Euseb. li. 3. cap. 32.

generatio prӕterierat, quӕ diuinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, sanum salutaris prӕdicationis canonem corrumpebant alia quasi dicta ab Apostolis afferebãt, & quӕ verè ab illis tradita, aut negabant, aut deprauabãt. Primos Christianos ad eam audaciam attonitos etiam vitӕ pœnituit: Polycarpo assuetum erat verbum, O bone Deus, in quӕ tempora me conseruasti, vt hӕc sustineam? Nequaquam tamẽ animos abiiciebant, sed exquirebant de senioribus quӕ Apostoli docuissent, ea tuebãtur ac tradebant, & hӕreticis vsque ad sanguinem obsistebant. Dicebat Papias: non delectatus sum his qui multa dicunt, sicuti plerique solent, sed his qui quӕ vera sunt, docẽt. Neque illis qui peregrina prӕcepta commemorant, sed his qui ea, quӕ a domino fidei nostrӕ sunt tradita, afferũt: Sicubi quisquam venit qui seniorum affectator fuerit, seniorum verba interrogabam, quid Andreas,

Ireneus li.3

Ex Ireneo Nicepho.li. 4.cap.30.

Euseb.li.3. ca.39.& 35.

quid Philippus, quid Thomas, aut Iacobus, aut Ioannes, siue Matthæus, vel alius quisquam ex discipulis Domini, quidque Aristion & senior Ioannes dixerint. Cogitabam enim me non tantum vtilitatis ex libris, quantum ex viua & permanente voce relaturum. Ignatius cum raperetur Romam ad bestias, quà transibat, ciuitates adhortationibus corroborabat. imprimis admonebat, vt hæreses recens exhortas & emersas maximopere cauerent, & apostolorum traditioni indiuulsæ adhærerent. Egesippus, Clemens Alexandrinus, atque alij perreptarunt vniuersum prope orbem, vt inuiserent ecclesias, & quid eis esset relictum, addiscerent & docerent. Hæc prima fax nascentis Ecclesiæ, illustrissime Cardinalis, vt alias ætates omittam, quam nostris temporibus præluceat, nemo est qui te acutius cernat. Hæreticorum mores, à quibus obsidemur, ostenduntur. Præmonstra-


Euseb. li. 4. cap. 22.

tur, quanta cura ac vigilantia a nobis desideretur. Inter eos qui mortuis apostolicæ fidei nostris regibus, e suis latibulis prodierunt, duo genera bonis viris plus faciunt dolorem. Vnum eorum qui non deum colunt, sed purpuram, & ad auram principum fidem permutant, aut infidelitatem produnt & effundunt, nulli fidi, Deo perfidi. Alterum eorum, qui se saluos non arbitrantur, nisi deteriores se sibi adiūxerint, & in eādē secum libertatem asseruerint. Per eos Gallia, quæ aliena monstra solebat profligare, suis oppressa, peregrina inuitat, vt saltem nostros homines nouitate alliciat, aut in perniciē inuitos abducat. Cogit officium, quod libenter præstamus pro viribus, rogare omnes, etiam capitis nostri periculo, vt fugiant a facie colubri, & de omnium discrimine admonere. Nostræ nationis est veterem indolem recordari, quæ nunquā monstra aluit, sed a se orta statim sustulit, &

extera, doctrina atque armis repulit. Ideo pauciores aliis mundi partibus religionis ac regni vicißitudines semel fidem catholicam amplexa, est perpessa. Non his libellis insector cum diuo Paulo, nostrorũ ingeniorũ leuitatẽ, Currebatis bene, ô insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire euangelio? Miror quod sic tam cito trãsferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud euangelium, quod non est aliud, nisi sunt ali qui qui vos conturbant, & volunt conuertere euangelium Christi. Tantum ex senioribus meis hic duas vias recito, quà Principibus ingrediendum sit ad conseruãdam aut perdendam Christianorum rempublicam. Hoc quicquid est, scio lectione tua indignũ Christianißime princeps: sed si quid ex me nasci potuerit excellentius, catholicæ fidei, quæ ĩ te ac nobilißima familia tua, a Bulloniis & Borboniis perseuerat, mecum dicatum cupio. Vale. Deus Ecclesiæ suæ te ad multos annos conseruet.

Gal. 1. & 3.

❧ *AD EDICTA VETERVM Principum de licentia Sectarum in Christiana religione præfatio.*


EVS noſter quos deſignauit populo ſuo & creauit reges, cùm vngerentur, afflauit ſpiritu, vt intelligerẽt ſi inter belluam & hominẽ, multo magis inter belluam & Principem intereſſe. Bellua ſenſu tantum mouetur(ait ille) ad id ſolùm quod adeſt, quódque præſens eſt ſe accommodat, paulum admodum ſentit præteritum aut futurum. Principẽ autem quoniam non tantum rationis, ſed cuiuſdam diuinitatis eſt particeps, nihil magis decet quàm conſequen

tia cernere, principia & causas rerũ videre, carúmque progressus, & quasi antecessiones non ignorare, similitudines comparare, & rebus præsentibus adiungere atque annectere futuras. Hoc cùm apprimè sit regibus in omnibus negotiis necessariũ, tum maximè in permutando imperij sui statu, quod religione, dei nutu, metu ac cultu potissimum continetur. Cogitet itaque qua æquitate causarum à maiorum pietate recedat. Consideret principia quibus adducitur vt nouam religionem inuehat, & populum contra fas perturbet. Prospiciat ex aliis quem debeat negotij expectare exitum. Videat quibus ex decessoribus suis se conferri malit & eligat. Ista si inspiciat diligenter, labi aut falli vix poterit. Ista ostẽdunt an agatur spiritu Do-

mini, an in Saulem ſpiritus vertiginis inſiluerit. Licentiam religionis nemo catholicus permiſit, cuius nõ pœnituerit, & cuius cauſa pœnas fere non luerit. Nullus hæreticus princeps ex communi libertate ſuam ſectam ad multum temporis ſtabiliuit, ſed peiores acciuit, & ſeipſum perdidit. Boni ac prudentes viri populi Chriſtiani vicem dolẽt, ac pœnitet ſe in hæc tẽpora ſeruatos, cùm abrogatis & antiquatis veterũ Chriſtianorũ legibus edicta Maximini & ſimilium pro Chriſtianis, poſtulari audiunt indifferenter pro hęreticis. Iſtud eſt, vt mitiſsimè loquar, ex hęreticis quibuſlibet ſolos Chriſtianos pronunciare, & principes innocẽtiſsimos toto orbe Chriſtiano traducere, in Tyrannorum ac Paganorum numerum redigere, & in ſa-

lutis atque imperij cum subditis discrimen coniicere. Liceat mihi, supplex oro, ea veneratione qua debeo, Christianissimos Galliarum Principes ac Iudices, paucis verbis hic appellare, quibus suum regem affatur nostrorum tẽporum Hosius. Etiam atque etiam obsecramus supplices, vt diligenter reputetis quorsum spectent hominũ conatus, qui ad libertatem sectas vocant & impellũt. Nihil enim est aliud in quo cura eorũ omnis consumitur, quàm vt ordinẽ perturbent, quàm vt authoritatem legitimorum magistratuum conuellere queant & labefactare. Erratis serenissimi principes, si de sola Pontificia aut Ecclesiastica iurisdictione & potentia abroganda solicitos esse putatis. Etiam regiam sublatam cupiunt, vt sit rerum status is quem in

lib. 2. in Brentium.

historia iudicum fuisse legimus, vbi scribitur his verbis: In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectũ videbatur, hoc faciebat. In summa hoc volunt, vt quod cuique rectum videtur, id credere, id facere cuiuis liceat. Verbo quidem concedũt regi ac vobis potestatem, sed reipsa prorsus adimũt, cum reis læsæ vestræ maiestatis & sanguinis, non modo impunitatem, sed liberius grassandi concedi volunt licentiam. *Iudicum Vltimo.*

Malicia hæreticorum circa Sectarum licentiam. Cap. I.

TRIA sunt in hac quæstione impiis omnibus hominibus communia, quæ Ecclesia per experimenta didicit. Quãdiu pœnæ metu

magis quàm pudore à malo cohibẽtur, indignum facinus clamant prohiberi ne in lucem proferantur quæ ſentiunt, Deique verbum inaudita tyrannide opprimi, non diſpenſari. Quandiu pauciores ſunt, neque ad irruendum aut ad reſiſtendum pares, Chriſti diſcipulis colẽdam manſuetudinem ſuadẽt quæ in magiſtro apparuit: ſe nullum compellere in ſuæ religionis obſequium, ſed veritate allicere. Alterum eſt præfatos clementiam, viam ſibi ad omnem audaciam munire, vires colligere: quas quamprimum nacti ſunt, nihil prius aut fortius agunt, quàm ſublato timore poſt mendacia, homicidia ſua & immanitatem detegere.

Vtrumque vt vno & vulgari verbo exhibeatur, intrant vt vulpes, regnant vt Leones. Ita vulpeculã agit

& se mitem aſsimulat apud Augu- ſtinum ex Donatiſtis Petilianus, & ait: Si per legem aliquam cogi vel ad bona licuiſſet, vos ipſi miſeri à nobis cogi debuiſtis: ſed abſit, abſit à noſtra conſcientia, vt ad noſtram fidem aliquem compellamus. Se aſſimulat eundem Gaudentius. Exhortatus ſum, inquit, meos, vt qui haberent voluntatem egredi, ſecurius publicè faterentur. Nec nos enim inuitos retinere poſſumus, qui didicimus ad dei fidem neminem eſſe cogendum. Reſpondet Auguſtinus. Quia vel ipſas leges, vel inuidiā formidatis, vel ad reſiſtendum impares eſtis, nō dico aduerſus tot homines, ſed aduerſus tot Gentes catholicas, etiam de māſuetudine gloriamini. Iſto modo & miluus cùm territos pullos rapere non potuerit,

lib.2.in Petilianum cap.83.

Auguſt. lib.1.In Gaudentiū cap.7.

lib.2.in Petil.cap.83.

columbum se nominat. Vbi enim potuistis, & non fecistis? Vnde ostenditis quod plura faceretis, si possetis. Quando Iulianus apostata inuidens paci Christianorum, vobis Basilicas vnitatis catholicæ reddidit, quæ strages à vobis factæ non

Epist. 48. sunt? Vos Rogatistę, (ad Vincentiũ scribit) mitiores esse videmini, quia non sæuitis cum Circumcellionum gregibus, sed nulla bestia si neminē vulneret, propterea mansueta dicitur, si dentes & vngues non habet. Sæuire vos nolle dicitis, ego nō posse arbitror. Ita enim estis numero exiguo, vt mouere vos cōtra aduersarias multitudines nō audeatis, etsi cupiatis. Modo quia apud imperatores nihil potestis, nobis inde facere vultis inuidiam, si autem aliquid possetis, quanta faceretis, quando

nihil poteſtis, & non ceſſatis?

Mahomet Oriẽtalium hæreſium colluuies fidem ſuadendam ac relinquendam cuiuſque libertati prædicauit. At vbi potẽtiam inuenit, ſuos non facilius adituros ad Deum aſſeruit, quàm ſi multitudinem Chriſtianorum iugularent ac mactarent. Ne hac in re veteribus diſsimiles noſtræ ætatis hęretici exiſtimentur. Lutherus initio ne quidem Turcæ armis obuiam eundum cenſebat, nec vllo impetu religionis ergò, quemquam comprimendum, ſed ſinendum creſcere cum zizaniis vſque ad meſſem, ac ſolo verbo omnes curandos. Eius hanc ſententiam ſequitur Bellius ex noſtris Gallis neſcio quis perſonatus, & interim minitatur Monachis & Eccleſiaſticis grauiora quàm Anabaptiſtis aut ne-

Euth. part. 2. Panop. tit. 4.

Collationes harum omnium ſentẽtiarum habẽtur apud Bellium & Theodorũ Bezam de hæreticis puniendis.

quioribus, vt eſt homo aliquis religioſiſsimus & Chriſtianiſsimus. Lutherus vbi potentiſsimos Principes & magiſtratus præda eccleſiaſtica ineſcauit, quos in inuictiſsimum imperatorẽ armatos etiam emitteret, elatus inſolentia quotquot ſententiæ a ſe dictæ non ſubſcriberent, mouit a ſuo ſenatu, ac negat in Chriſtianorum ditione ferendos. Interpretationem priorem de zizaniis more hęreticorum ad Tychonij regulam temperat, Quod volumus ſanctum eſt. Principis officium definit oblatos hæreticos vt in verum numen contumelioſos punire & coherce-re. Hanc doctoris verſatilis verſatiles diſcipuli tuẽtur opinionem, Melancthon, Brentius, atque alij, ſed vbi poſt occupatas reſpublicas ſua hæreſi a prima ſententia cum magi-

ſtro deceſſerũt. Fugitiuus Caluinus ſecum & exulare ſapientiam & pietatem primùm conqueſtus eſt, quia res gereretur cum illo viribus, & nõ dei legibus, vt tum illi placebat. Auctus potentia è cœlo & Eccleſia deturbat Lutheranos & Catholicos, neque mitiora oſtendit quàm Serueto inflixit, ſi dedentur in manus. Eſt apud me vetus & manu ſcripta hiſtoria de geſtis Frãcorum in Albigeos. E lutetia Pariſiorum apoſtatæ duo ad Aquitanos infectos profugiſſe in ea ſcribuntur Balduinus & Theodoricus. Hi ſectam ducebant, partim quòd aliqua præcellerent eruditione: partim quòd Albigei ſibi ſummæ laudi putarent aliquos è doctis francis ſuas ſordes amaſſe. Sacrilegia & mores noſtrorũ hęreticorum valde cũ Albigeis video congruere.

Ne quid desideraretur, duo non indocti è Francia post Caluinum, ad fidei Catholicæ hostes eodem ferè tempore transierunt, sed in factiones contrarias, Franciscus Balduinus & Theodorus Beza, vterque nõ obscuri nominis apud suos. Balduinus ita edicta Principũ infidelium pro Christianis disputat, vt tacitè significet eadem pro sua secta ne qua pœna aut supplicio afficiatur, decernenda. Pollicetur se copiosius expli caturũ ad edicta imperatoris Theodosij quàm grauiter in ea re hactenus sit peccatum.

Theodorus contra, vt magistri Caluini hæreticam inconstantiam purget aut excuset, eloquentiæ suæ non parcit amplificandis his quæ in Donatistas pluribus locis repetit Augustinus. Ita Seruetũ suum con-

damnat capitis, vt in regulã Tychonij cum aliis de hęreſi incurrat. Se & magiſtrũ ac omnes ſectatores ſolos innocentiſsimos ex dei verbo iactat & oſtentat. Sed Caluinum cum ſuis Vveſtphalus & Timaus paſtor Bremẽſis, libro in eam rẽ edito, atq; omnis ſchola Lutherana, ne quidem admittendũ ad colloquium, aut hoſpitiũ ex dei verbo iudicãt vt nocẽtiſsimum, ac non niſi gladio vindice oppugnãdũ. Hæccine enim eſt innocẽtia ex ꝓdigioſis hæreſibus, quas hic omitto, parta? Hoccine eſt verbum dei? Hoccine humanum factum aut inceptum, Chriſtianiſsimos principes nec opinantes, tyrannos ſua authoritate pro ſua libidine declarare ac opprimere? In regem necdum adultum cognoſcentem & ignoſcentem omnia ſacrilegia, coniurare?

Hoſius de Hæreſibus.

Chriſtianiſsima regna ad ſeditiones ſollicitare? Indicta cauſa, ſi principibus dicenda cauſa eſt apud ſuos per fugas, Chriſtos Domini quaſi iure damnatos armatis carnificibus tradere? Pro euãgelij miniſtris ſicarios alere & adornare? Interceptos parricidas, quia pœnas luerint, quaſi ſanctos renuntiare & celebrare? Quæ barbaries, quæ diaboli ad miſcenda omnia ac perdenda rabies exiſtimari poteſt, ſi hoc dei verbũ eſt? Quis impius & nocens, ſi regio ſanguini & Chriſtianiſsimo immiſſus percuſſor ſanctus eſt & innocens? Quid nõ audeant domini, cùm talia auſi ſint & ſerui, & fugitiui?

Tertium quod ad omnes propemodum hæreticos pertinet, contra naturam eſt. Quod enim iuris de libertate in republica catholicorum

ſibi deberi contendunt, nemini noſtrorum in ſuis ciuitatibus conceſſerunt. Athanaſius eius animi Arrianos demonſtrauit. Nam cùm ſuaderent Imperatori Conſtantio, vnam ſibi eccleſiam liberam Alexandriæ relinqui oportere, Athanaſius ſubiecit, æquiſsimum eſſe, vt Antiochiæ, quam poſsidebãt, ab illis templum viciſsim permitteretur Catholicis, qui cum ipſis coniungi nollent fide. Sed ea res non placuit principibus ſectæ, ac maluerunt à petendo deſiſtere, quàm vllos catholicos ad ſe recipere. Iulianus omnibus impietatibus fecit inſaniendi poteſtatem, ſolis catholicis libertatem ademit: & eiuſdem iniquitatis ſucceſſorẽ Valentem atque alios inuenit, de quibus poſterius. Arrianorũ iudicum vna erat breuiſsima ſententia, aut

Theodoretus lib. 2. cap. 12.

Athanaſius ad Solitarios.

Aug. epist. 166. ſubſcribite, aut ab eccleſiis recedite. Donatiſtarum vox communis ad eccleſiaſticos ex quo viriũ aliquid eis acceſsit. Recedite a plebibus noſtris, ſi non vultis vt interficiamus vos.

Diuerſitas Principum à quibus libertas Sectarum in Chriſtiana religione propoſita eſt. Cap. II.

PRincipũ alij, ſectas omnes Chriſtianorum donarunt libertate. Alij eas ſolas quibus ſe dediderunt. Alij quaſdam ab aliis perſuaſi aut ſeducti, quanuis piè ſentirẽt, nec a recta via deflecterẽt. Qui ſe alicui factioni duces prebuerunt, in hæreticiſmo à nobis deſcribuntur ſatis prolixè. In eodem de his qui in aliorum gratiam nimium de ſeueritate remi-

remiſerunt, duobus locis agetur, vbi de aucupiis, quibus captãtur Principes, & de fautoribus per quos permouẽtur hæreſes, inſtituetur diſputatio. Attamen in præſentia de his nonnihil admiſcebimus vbi commodum erit. Eorũ qui omnes Chriſtiani nominis profeſſores ſuo modo ac lege viuere permiſerunt, alij Æthnici & infideles mortui ſunt, vt Tyberius, Adrianus, Antoninus pius, Mar. Antoninus, Aurelianus. Galienus, Maxentius, Maximinus, Alij chriſtiani nominantur & catholici, vt Philippus imperator, Alexander Mammeæ, Conſtantius, Conſtantinus, Iouinian⁹, Theodoſius maior, Gratianus. Alij apoſtatæ & hæretici notantur. Iulianus, Valens, Anaſtaſius, Conſtãtinus Copronymus, Michael balbus, & imperator Nicepho

rus. Interdum emẽtiti ſunt hæretici libertatem quaſi à principibus impetratam, vt conſtat ex quadam conſtitutione Archadij, Honorij, & Theodoſij, cuius textus eſt. Nonnullos Arrianorum formam noſtrarũ talem perferre iuſsionem comperimus, vt his liceat vſurpare, quæ his videãtur vtilitatibus cõuenire. Qua ſublata, ſciãt nullam huiuſmodi iuſſionẽ è noſtro ſacrario profluxiſſe. Quicquid itaq; fuerit ab his pro eorum cõmoditate prolatũ, vt falſi teneatur qui deinceps ea circũtulerit.

L.7.Cod. Theod. lib. 16. tit. 4.

Quibus Principibus odioſa aut ignota fuit veritas, ab his fere ſoli catholici afflicti, & hæretici dimiſsi. Cap. III.

RES eſt obſeruatione digna, pura & ſimplex veritas ſola diue-

xatur & repudiatur à mendacio, receptis ab eo in ſinum factionum omnium fecibus ac ſordibus. Romani deuictis nationibus omniũ Gentium deos in ſuam ciuitatem inuitabant, ac diuinis honoribus excipiebant. Hæbreorum numen excluſerunt quod erat vnicum ac veriſsimũ. Tyranni implacabili odio Chriſtianorum, ſolos fere catholicos nouis & inauditis ſuppliciis cruciabãt, ab hæreticis impuriſsimis, neſcio quo diaboli ductu, vt plurimum abſtinebant, ita enim Iuſtinus ad Antoninum Pium. Omnes qui à Simone, Menãdro, & Marcione prodeũt Chriſtiani nuncupantur, vt philoſophi, cùm eorum non ſint dicta communia, commune philoſophię nomen quod dicitur obtinent: ſed an ea facinora ignominiæ dedecoríſq;

Aug. de Ciui. Dei.

Athenagoras in lega. pro Chriſtianis.

Apolog. 2.

plena quę vulgo feruntur, perficiāt, vt lucernæ restinctionem, impudicósque cōcubitus, humanarum carnium esum ignoramus. Hoc autem scimus à vobis eos nec exagitari etiā propter decreta, nec morte mulctari. Ita apud Eusebiū ex primis Christianis Apollinarius hierapolitanus scripsit de Montanis. Cataphryges nos prophetarum occisores vocarunt. Respōdeant nobis per Deum. Estne quisquam eorum qui à Montano & mulieribus istis loqui ceperunt, à Iudęis persecutionem passus, aut ab iniquis occisus? In vos solos, (alloquitur Catholicos Cyprianus) secularis potestas subito prorupit, vt ad cōfutandos hęreticos & retundēdos ostēderet dominus quæ esset ecclesia, qui essent quos inimicus lacesseret: qui ecōtra quibus diabolus

Euseb. li. 5. ecclesi. hist. cap. 16.

lib. 1. epist. 1. & lib. 3. epist. 1.

vt suis parceret. Neq; enim persequitur & impugnat Christi aduersarius nisi castra & milites Christi: hæreticos prostratos, simul & suos factos, contemnit & pręterit. Eos quęrit deiicere quos videt stare. Imperatores hæretici aut apostatæ sæpe aliis sectis sua curare iussis, omnem iracundiam ac furorē in solos catholicos euomuerunt, aut alios tantum qui his fauerent, afflixerunt. Constātius cum suis Arrianis alias hæreses minores vt sorores suas, permittebat blasphemias in dominum proferre, & christianis tantummodo suis insidiis imminebat, non sustinens vllos pios sermones de Christo. *Athanasius ad solitarios.*

De Iuliano postea Valens diutius Antiochię commoratur Iudęis & Æthnicis, Græcis atque etiam his omnibus qui christianorū nomine *Theod. lib. 4. cap. 24.*

diuersa dogmata ab euangelica doctrina cõplecterentur, vt liberè peragerent permisit quæ in eorum animis essent placita. Eorũ verò tãtum qui catholicæ ecclesiæ disciplinam sequerentur, implacabilem hostem se gessit. Nouatianos Constantinopoli exegit, ac eorum ecclesias claudi iussit, quia de homousio & eiusdem substantiæ filio conuenirent cũ catholicis quibus erat inimicissim⁹. Constantinus Copronymus iisdem solis catholicis infestissimus, ex Iudæis, Magis, ac gentibus monstrum quasi ex multis belluis Africanum sibi conflauit, & Christianis solum colendum obiecit, nihil interim affligendis viris ecclesiasticis prætermisit. Mahomet in Alcorani sentinam ex toto oriẽte sordes fidei christianæ recepit, solam religionem ca-

Zonaras tom. 3.

Petrus Venerabilis.

tholicam respuit ac persecutus est. Nicephor⁹ imperator vt Manichęis parceret, ac faueret, iudicia omniũ criminum eludebat, sectas omnes licentia instigabat, & tantum pios sacerdotes molestiis enecabat, quorũ tristitia lętabatur & contumeliis atque iniuriis, quę illis impunè ab omnibus inferebantur. *Paulus Diacon. lib. 24.*

Explicatio rationum quibus Principes sectas liberas fecerunt. Cap. IIII.

QVoniam leges ratio commendat, non alienum iudico inquirere quæ & quanta imperatores impulerit ad laxandas in Christianismo opinionibus hominum & erroribus habenas. Non vna certè aut simplex reperitur, sed multiplex ac varia. Quinetiam in eodem

duæ plerunque deprehensæ, vera vna ac dissimulata. Altera ficta aut in speciem probabilis, qua prætexebatur occulta.

Principio nonnunquam sancti reges ad explorandos suorum animos, aut factionē aliquam indagandam præ se tulerūt, aut eam à se probari, aut non admodum vituperari.
Ioan.6. Nunquid & vos vultis abire Christus suos interpellat, vt interim quid erga se haberent animi, & cognosce
Iosu.24. ret & declararet. Ita Iosue populo in memoriam reuocat prodigia quibus Deus legē suam asseruerat. Tandem vt omnium experiatur constantiam aut ostendat, concludit: Si vobis hodie malum videtur vt domino seruiatis, optio vobis datur, Eligite hodie quod placet cui seruire potissimum debeatis. Vtrum diis

quibus seruierũt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhęorum, in quorũ terra habitatis. Ego autem & domus mea seruiemus domino. Respondítq; populus, & ait: Absit à nobis vt relinquamus dominum, & seruiamus diis alienis. Dominus Deus noster eduxit nos & patres nostros de terra Ægypti & de domo seruitutis, fecítque vidẽtibus nobis signa ingentia, & custodiuit nos in omni via per quam ambulauimus. Seruiemus igitur domino quia ipse est Deus noster. Tum Iosue accepta lege populum obligat, ne impunè se laturum putet si desciuerit. Non poteritis, inquit, seruire domino: Deus enim sanctus & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. Si dimiseritis dominũ & seruieritis diis alienis, con-

uertet se atque affliget vos & subuertet, postquam vobis præstiterit bona. Testes vos estis, quia ipsi elegeritis Dominum vobis vt seruiatis ei. Auferte ergo deos alienos de medio vestri, &c. Iosue duo imprimis principia ponit, quibus comprobatur à Deo profecta aliqua religio, commemorat signa & prodigia à Deo & per Moysem dei ministrum patrata, quę hominis vires superarent. Deinde ostẽdit prę sentissimum dei auxilium populo quandiu syncerè & integrè legem traditam est executus, à qua non prius defecturũ prędixit quàm malorum ilias gentem impiam inuadat. Vtinã ad hæc principia quasi ad lydium lapidem, oblatas temere religiones expenderemus, & florẽtissimarum nationum ruinas non lugeremus, ex quo deser

ta fide catholica illis duobus fundamentis toto orbe terrarum confirmata, ad hæreses diuerterunt. Deinde Iosue omnem libertatẽ prǫcludit ad admittendas in dei lege sectas alienas: quia deus æmulator est & ad vltionem fortis. Postremo peregrinam religionẽ arceri prǫcipit. Constantius Constantini pater, vt eos internosceret qui purè deum colerent & non purpuram: eãdem optionem suis aulicis fecit, vt liberè transirent ad Christũ, aut idola retinerent. Eos ipse retinuit quos Christi, quã principis, aut idolorum amãtiores comperit. Quomodo, inquit, fidem imperatori seruabunt, qui erga Deum deprehensi sunt perfidi, Iehu omnes falsos prophetas ad se allexit, vt liberè secum idolis sacra facerent, hortatus est. Interim ea fraude om-

Euseb. lib. 1. de vita Constant.

4. Reg. 10.

Paul Diac. lib. 15. nes intercepit ac deleuit. Rex Persarum Cabades, vt ad internetionem Manicheos omnes tolleret, effinxit se ad arbitrium eorum quasi bonorum virorum velle de filio successore statuere. Idcirco rogare cepit vt omnes intrepidè irent in vnum cœtum quem posset à reliquo populo dignoscere: cōfestim exercitum immisit qui segregatos ad vnum trucidaret.

Rationes infidelium Imperatorum pro omnibus indifferenter Christianis. Cap. V.

QVIA infidelium reges versabantur in summa ignoratione veritatis, promiscuè & ex iisdem causis hæreticos cum syncerè Catholicis deum colere ex suo

ſenſu conceſſerunt: admirabãtur purã Chriſtianorum ſanctitatem, & ſupra hominum vires in miraculis potentiam, in periculis conſtantiam, in actionibus innocentiam, quos conſtaret in rerũ aut imperij ſtatum nihil moliri. Eadem omnia de hæreticis ſibi perſuadebant, quia chriſtianorum nomine velarentur.

Pilatus præſes Paleſtinæ prouintiæ ad Tyberium Imperatorem atque ad ſenatum retulit de reſurrectione Chriſti, conſequentibúſque virtutibus quę per ipſum factæ fuerant, vel per diſcipulos in nomine ipſius fiebant: & de eo quod certatim creſcente plurimorum fide deus crederetur. Tyberius cum ſuffragio magni fauoris ad ſenatũ retulit, vt Chriſtus Deus haberetur. A ſenatu cùm eius reiiceretur ſentẽtia, mortem eſt

Euſeb. li. 2. cap. 2. hiſto. eccleſ.

Oroſius lib. 7.

comminatus accusatoribus Christianorum: atque hoc propter audita Christi prodigia. Propter acceptũ beneficium Christianorum prece, ac diuina virtute, metúque vltionis, propter nostrorum compertam virtutem, M. Aurel. Antoni. Christianis quietem à persecutionibus sanciuit hac epistola missa ad Senatũ. Imperator Cæsar Marc. Aurelius Antonin⁹, Germanicus, Parthicus, Sarmaticus senatui populóque Romano S. Certiores vos feci de consilij propositíque mei magnitudine, quę in Germania mihi in discrimine alia ex aliis inciderũt. Cùm in finibus labore confectus essem, in oleastro à milibus nouem drachones quatuor & septuaginta me oppresserũt. Cúmque haud procul à nobis abessent, nobis speculatores indicarunt, &

In apologia 2. Iustini Euseb. li. 5. cap. 5.

Corrupta exẽplaria.

Pompeianus, quē bello ducem præfecimus nobis exposuit quæ vidimus. Oppressus sum à magnitudine multitudinis non confusæ exercitúmque legionis vndecimæ gemini ferētarij, omnísque multitudo quæ adfuit vniuersæ turbæ confusæ fuit millium xc lxxvij. Itaque cùm meipsum & exercitum meum cum Barbarorum hostiúmque multitudine comparassem, deos patrios rogaui: sed cùm ab eis negligerer copiarúmque mearum paucitatem contemplatus essem, eos, qui apud nos Christiani dicuntur, accersiui ac rogaui, inueníque magnam eorum multitudinem, eósq; minis cōpuli, id quod minimè decuit, propterea quod posterius eorum vim agnoui. Hinc aggreßi sunt non telorum præparationem, non armorū neque tubarum,

Victoria contra germanorum copias huic nō dißimilis obtigit Carolo 5. Imper. propter fidem catholicam

propterea quod illud eos offendit, Dei cauſa & nomine quem in conſcientia geſtãt: Veriſimile eſt igitur eos quos Atheos eſſe exiſtimamus, deum ſponte in conſcientia & animo concluſum habere. Cùm enim ſe humi abieciſſent, non ſolum precati ſunt vt pro me, ſed etiã pro hoc exercitu patroni eſſent ſitis atque famis qua vrgebamur. Quinque enim diebus aquam nõ ſumpſimus, quòd non ſuppeteret: Eramus enim in Germaniæ vmbilico, eorúmque finibus. Simul autem atque ſe humi abiecerunt, deúmque precati ſunt, quem ego ignorabam, ſtatim è cælo pluuia delapſa eſt in nos quidem frigidiſsima, in Romanorum verò hoſtes grando ignis ſpecie & ſimilitudine. atque etiam inter preces veriſimile eſt deum ſtatim præſto fuiſſe,

vt in-

vt inuictum & indissolubilē. Quam obrem illinc exorsi concedamus talibus vt sint Christiani, ne qua arma eius generis contra nos petant & impetrent. Hoc autem censeo quod Christianus aliquis sit, nō esse in crimen & in vitium vocandum. Quod si quis inuentus sit crimini dare cuipiam quod Christianus sit, eū Christianum qui adducatur manifestum fieri volo, cum hoc cōfessus sit, duntaxat qui hoc vno in crimē vocetur quod Christianus est, eum autē qui hunc in ius vocat, viuū exuri. Eum verò qui Christianum se professus sit, & simul periculo omni, quod ob eam rē creabatur liberatus, si ei prouincia credita fuerat, ad pœnitentiā traduci non placet, nec libertatem amittere. Hæc autem senatusconsulto sanciri volo, atque hoc meū edi-

ctum in foro Traiani proponi, vt legi posſit. Curæ erit Beraſio Pollioni præfecto, vt illud ad omnes prouincias mittatur, nec quiſquam qui vti & habere volet, ex eis quæ à nobis propoſita ſunt, prohibeatur deſcribere.

Curioſus omnium myſteriorum apud omnes gentes Adrianus indagator, ac ſcrutator, de Christianorum virtutibus à me nominatis imbutus ab Ariſtide philoſopho Chri-
Euſeb li. 4. cap. 3. ſtiano, & Quadrato Athenienſium Epiſcopo, poſtquam noſtra myſteria & vitam expendit vt omnium ſolebat, ſcripſit Minutio Fundano. A
Euſeb. li. 4. cap. 9. Chriſtianis quidem periculum depellit, ſed alio nomine quàm virtutum, & cauſam aliam allegat quàm integritatem. Accepi epiſtolam, inquit, quã ad me ſcripſerat Serenius

Grauianus. V.C. cui tu ſucceſsiſti. Digna res eſt de qua cognoſcatur, ne & magnæ alioqui turbæ excitentur, & calũniatorum malitiæ indulgeatur. Si prouĩciales poſſe ſe putẽt Chriſtianos reos in iudicio peragere, id legitimè faciũto. Clamoribus verò & tumultibus locus nullus eſto. De cauſa cognoſcere tu debes, ac ſi quid aduerſus leges facere Chriſtiani videantur, animaduertito, & noxię pœna par eſto. Ita quidem me hercule vt qui calumniæ cauſa ad accuſandum deſcendet, ſentiat etiam tuæ animaduerſionis ſeueritatem. De eiſdem virtutibus exploratis Plinius Iunior Traianum certiorem fecit, & ex his partim, partim ex aliis veris & falſis cauſis conatur mitigare. Affirmabant (inquit) Chriſtiani hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ *Ad Traianum.*

vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carménque Christo quasi deo dicere secum inuicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria cōmitterent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse. Visa est mihi res digna consultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusque sexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio peruagata est, quæ videtur sisti & corrigi posse. Certe satis constat prope iam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solēnia diu intermissa

repeti, passímque vænire victimas quarum adhuc rarissimus emptor inueniebatur, ex quo facile est opinari quę turba emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.

A Iustino Martyre, & Melitone Sardicensi, atque aliis Antoninus Pius de Christianorũ catholicorum innocẽtia ac sanctimonia edoctus, ac publica calamitate, quæ in Christianos conferebatur de Dei iracundia ob falsa crimina & iniusta supplicia, quæ nostris inferebantur admonitus, persecutionis incendium restinxit. *Euseb.li.4. cap.12.*

Alij metu vltionis diuinæ à Christianis & sectis Christiano nomine personatis affligendis deterriti sunt. Eorum aliqui illam vindictam perpessi sunt, vt Maxentius totius corporis vulnere pessimo confectus à *Euseb.li.8. cap.vlt.*

perſecutione ceſſauit. Aliqui ex alie- nis periculis cauerunt, vt Galienus Valeriano patre à barbaris capto, moderatius vti cœpit Imperio in Christianos, ac perſecutionem motam compeſcuit.

Euſeb. li. 7. cap. 13.

Alij potentiorum metu Christia- nos mitius tractarũt: vt Maximinus ac Licinius coacti ſunt quieſcere cũ ceruicibus immineret Conſtãtinus Maximinus prius etiam iracũdiam remiſerat, non ſua ſponte, ſed ne diſ- ſideret à Maxentio. Captandæ be- neuolentiæ cauſa à populo Roma- no Maxentius initio Imperij inhi- buit perſecutionem, ac noſtram re- ligionem ſimulauit. Denique vt in rebus humanis omnium viciſsitudo eſt, & in imperiis inuidia, à quibus Imperatoribus grauiſsima Christia- ni pertulerunt, ab eorum ſucceſſo-

Euſeb. li. 9. cap. 10.

Euſeb. li. 8. cap. 17.


ribus vt deceſſorum æmulis, aut inuidis æquiſsima reportarunt,& contra,ſicut in cauſis hæreſeon & incrementis,multorum exempla conferimus. Cæterum ex illis vnuſquiſque alias cauſas ſuis in edictis comminiſcitur & præter animo cōceptas obtendit. Antoninus cauſatur diis curę fore religionem,vt ſine ope homi num ſarta maneat & tecta. Imperator Cæſar Aurelius Antoninus Auguſt. &c. cōmunitati Aſię ſalutem. Ego quidem etiam diis hoc eſſe curæ noui,ne qui tales ſunt,lateant.Nā hi eos qui ſe adorare nolunt magis puniunt quàm vos quos in perturbationem coniicitis, ac ſententiam eorum quam de vobis habent confirmatis, qua vos tanquam impios accuſant.Eſt autem illis optabile, vt accuſati pro Deo ſuo malle mori,

Euſeb.li.4. cap.13.

quàm viuere videantur, vnde & victores euadunt animas ſuas potius tradentes, quàm vobis ad ea quæ petitis vt faciant obtemperãtes. Haud verò abſurdũ fuerit admonere vos de terræ motibus qui facti ſunt ac fiunt, vt cum triſtamini quando fiunt, res noſtras cum illorum conferatis: Illi meliore erga Deum animãtur fiducia, vos verò per vniuerſum tempus quo ignorãtes eſtis, & deos alios & religionẽ erga immortalem negligitis, ac Chriſtianos illum colentes pellitis, & ad mortem vſque perſequimini. Pro talibus iam etiam multi prouinciarum præſides diuiniſsimo quoque patri noſtro ſcripſerunt, quibus & reſcripſit non eſſe tales moleſtandos, niſi quid contra Romanum Imperium tentaſſe deprehendantur, & mihi etiam multi

de talibus significarũt, quibus etiam secundum sententiam patris mei rescripsi. Si verò posthac quisquam negotium talibus tanquam talibus facessere perrexerit, is qui defertur ab accusatione sit absolutus, ac liber, etiam si talis esse deprehẽdatur, delator verò pœnæ subiaceat.

Galienus, Maxentius, ac Maximinus teterrimi hominum & immanissimi, se clementia ac misericordia adduci fingunt, vt multitudini pereũtium Christianorum parcant, quos duo postremi blanditiis sperant flecti posse ad Idôla, qui suppliciis non frangerentur. Horum ista sunt edicta. Imp. Cæsar P. Lici. Galienus, &c. Dyonisio & Pinnæ & Demetrio ac reliquis episcopis. Benefi *Euseb. li.7. lib.13.* centiam doni mei per vniuersum mundum publicari mandaui, vt à



locis quibus disciplinæ gratia detinentur, vestri discedant, & ob hanc causam etiam vos exemplo huius rescripti mei vti potestis, ne quisquam vobis negotiũ facessat, & hoc quod à vobis licitè perfici potest, iamdiu antea est à me concessum. Quapropter Aurelius Cyrenius qui maximo negotio præest, exemplar à me datum custodit.

Euseb.li.8. cap. vltim. Imp. Cæsar Galerius Maxentius, &c. Inter cætera quæ pro Reip. vtilitate & commoditate statuimus, volebamus quidem primum cuncta secundum antiquas leges, & publicam Romanorum disciplinam dirigere, & hac vti prouidentia, vt & Christiani, qui parẽtum suorum religionem reliquerunt, ad rectum animi propositum redirent. Et enim sensu quodam tanta excellẽdi libido cœ-

pit, vt quæ olim ab antiquis ſunt recepta non ſequantur, quæ ſane & patres eorum antea conſtituerunt, ſed iuxta ſuum propoſitum & pro ſua quiſq; voluntate ſibiipſis leges fixerint, eáſque obſeruent, ac varias variis locis multitudines congregent. Igitur cùm tale à nobis edictum vulgaretur, vt ad priſcorum ſtatuta redirent, plurimi periculo ſubiecti, plurimi turbati, quælibet mortis genera pertulerunt: & quoniam multos in eadem demētia permanētes, nec celeſtibus diis debitum præſtare cultum, neque Chriſtianorum deũ ſuſpicere videmus, reſpicientes ad noſtram benignitatem ac diutinã conſuetudinem, qua cũctis hominibus ignoſcere ſolemus, etiam in hac cauſa indulgentiam noſtram extendendam eſſe putauimus, vt rurſus Chri-

ſtiani ſint ac domos in quibus conuenerunt ſic denuo conſtituant, vt nihil contra diſciplinam publicam faciant. Per aliam verò epiſtolam iudicibus indicabimus quid ipſi obſeruare debeant. Quapropter ſecundũ hanc noſtram indulgẽtiam deo ſuo pro ſalute, pro republica, próque ſeipſis ſupplicent, vt omnibus vbique locis ſtatus Reip. retineatur ſanus, & ſecuri in laribus ſuis viuere valeant. Cùm hoc edictum proponeretur per prouincias iuſſu Maxentij & Conſtantini imperatorum, Maximinus orientalis tyrannus Chriſtianos dimittere edictum præſcriptum nõ publicauit, verbo tantum prætoribus mandauit, vt bellum contra nos remitterent. Ita propoſitam legem de impunitate ac libertate abdere cogitauit. Ideo edicto non ſcripto

Euſeb. li. 9. cap. 1.

iudicibus præcepit ne noſtros amplius perſequerentur.

Conſtantinus & Licinius parta victoria de Maxentio legẽ pro Chriſtianis conſtituerunt, ac Maximino qui adhuc Orienti dominabatur & amicitiã erga ipſos pretexebat, mittunt. Ille verò tanquam Tyrannus his cognitis mœſtus eſt factus. Dein de metu eorum qui hanc legem tulerant, velut ſua ſponte & authoritate præſidibus ſibi ſubiectis primũ hoc pro Chriſtianis edictum neceſſario conſtituit, quo ea cõtra ſeipſum ſub dolè mentitus eſt quæ nunquam ab ipſo facta ſunt.

Iouius Maximinus Auguſtus Sabino. Et dexteritati tuæ & cunctis mortalibus manifeſtum eſſe confido, dominos noſtros Diocletianum & Maximianũ, patres noſtros, cùm *Euſeb.li.9. cap.9.*

omnes fere mortales deorum cultu relicto, Christianorum se gēti commiscere vidissent, recte pręcepisse vt cuncti mortales à cultu deorum im mortalium discedentes indubitatis pœnis ac suppliciis ad religionem deorum reuocarentur. Verum cùm ego fœliciter primum in Orientem venissem, cognouissémq; plurimos homines qui Reipub. poterant esse vsui, à iudicibus ob dictam causam in loca quædam exilio esse relegatos, cuilibet iudici hoc in mandatis dedi, vt nemo illorum cum prouincialibus deinceps seuerius agat, sed blanditiis potius & adhortationibus eos ad cultum deorum reuocet. Cùm itaque à iudicibus ista sicuti iusseram perficerentur, hoc est consequutum, vt nemo ex Oriētalibus partibus vel exilio relegaretur, vel

contumax esset, sed ob id quod nihil contra eos grauiter ac seuerè fiebat, ad cultum Deorum reuocarentur. Postquam verò anno præterito prospero successu Nicomediam venissem, illícque morarer, accesserunt ad me ciues vrbis illius vna cum statuis Deorum, obnixè orantes, vt huiusmodi gentem nullo modo in patria ipsorum habitare permitterem. Verum, quoniam sciebam quàm plurimos illius religionis viros in ipsis habitare partibus, responsum illis ad hunc modum temperaui, quod petitione quidem ipsorũ delectatus essem, verum eam non ab omnibus fieri vidissem. Quapropter, si qui in superstitione illa manerent, sic vnicuique voluntatis suæ liberum relinqui propositum, & si Deorum cultum agnoscere vellẽt, vt simul cum

Nicomedensibus eadem ciuitate,ac reliquis quoque ciuitatibus vterentur, quæ & ipse consimilem ad me petitionem eo studio detulerint, vt ne vnus quidem ex Christianis in ciuitatibus ipsorum habitaret:necesse fuit vt amicè & benignè illis responderem, quod hoc ipsum etiam antiqui Imperatores cuncti obseruarũt, & diis ipsis probatur, propter quos vniuersi mortales & ipsa Reipublicæ gubernacula consistunt. Placuit igitur tantam petitionem quam ad me pro summi Dei sui cultu detulerunt, confirmare. Quocirca,etiamsi potissimum deuotioni tuę etiam antea scriptum est,ac similiter mandatum, ne contra prouinciales huiusmodi gentem conseruare satagẽtes asperum quid agatur,sed illis patienter obtemperetur, & nec ab officialibus

libus, nec aliis quibuſcunque contu melias vel exagitationes patiantur: rationi conſentaneum putaui etiam hiſce literis dexteritatẽ tuam admo nere, potius blanditiis & adhortatio nibus prouinciales noſtros Deorũ curã agnoſcere facias. Quapropter ſi quis ſuapte ſponte Deorũ cultum agnoſcendum eſſe duxerit, eiuſmo- di complecti cõueniet: ſi verò non- nulli religioni ſuæ peculiari adhære re voluerint, id illorum arbitrio re- linques. Debet itaque deuotio tua quod iniunctum eſt cuſtodire, nec vlli data ſit hæc poteſtas, vt prouin- ciales noſtros contumeliis & con- cuſsionibus premat: quãdoquidem ſicut & antea ſcriptum eſt, adhorta- tionibus magis & blanditiis prouin ciales noſtros ad cultum deorum re uocari decet.

Euseb.lib. 9.cap.10. Tandem ſimulationis ſuæ impatiens arma contra Conſtantinum arripuit, a Licinio profligatus legem tulit pro libertate Chriſtianorum pleniſsimam, quæ ſic habet.

Imperator, Cæſar, Caius Valerius Maximinus, Germanicus, Pius, Fortunatus, Auguſtus, Prouincialiũ noſtrorum præfectibus indeſinenter & quouis modo conſulere, & ea nos illis exhibere velle cõuenit, quibus conſequi poſsint, quæ potiſsimum proſunt. Quę verò vtilitati, cõmoditatíque communi, & Reipublicæ compendiis conducant, ac vniuſcuiuſque menti ſint accepta, manifeſtum credimus, neminẽ eſſe qui ignoret, ſed vnumquenque ad idipſum quod factum eſt recurrere, & quemuis mortalium hoc cognoſcere & in ſeipſo habere. Cùm igitur &

antea ſcientiæ noſtræ innotuerit, ex eadem cauſa propter quam a Diocletiano & Maximiano felicis memoriæ parentibus noſtris, Chriſtianorũ ſynodos amputari pręceptum fuit, multos eſſe ab officialibus conquaſſatos & ſpoliatos, ídque etiamnum porro fieri contra prouinciales noſtros, quibus potiſsimum compe tenter proſpicere ſtudemus, ita vt fa cultates ipſorum abſumantur, miſſis literis ad vniuſcuiuſque prouinciæ præſides, anno præterito ſtatuimus, vt ſi quis huiuſmodi ritib⁹, vel religionis ipſius obſeruantiæ adhærere voluerit, huic licere vt inoffenſè propoſitum ſuum ſequatur, & a nemine impediatur ac prohibeatur, eſſéque illis liberum ſine vllo metu & ſuſpitione, quod cuique placuerit facere. Quin ne nunc quidem latere

vos poteſt , iudices quoſdam iuſſa noſtra neglexiſſe , ac ſubditos noſtros de mandatis noſtris dubios reddidiſſe, idque effeciſſe, vt cunctantius cultibus illis adhæſerint,qui ipſis tamen magis adlubeſcunt. Vt igitur poſthac omnis ſuſpicio, hæſitatio, ac metus auferatur, edictũ hoc publicare decreuimus, quò cunctis manifeſtũ fiat, licere illis quotquot hæreſim illam, & religionem ſectari volũt,ex hac noſtra largitione, ſicut cuique cordi eſt & adlubeſcit,ita religione illa vti, quam pro more ſuo exercere voluerit. Quin & hoc illis permittitur, vt dominica oratoria conſtruant. Ad hæc vt maius ſit hoc noſtrum donum,etiam illud conſtituere dignati ſumus,vt ſi quæ dom⁹ & prædia ad ius Chriſtianorum antea pertinentia, iuſſu maiorum no-

ſtrorum ad ius fiſci tranſierunt, aut a ciuitate quapiam occupata, vel alias diuendita, ſiue dono cuipiam ſunt tradita, hæc omnia ad priſcum Chriſtianorũ ius reuocari iuſsimus, quo etiam hac in re pietatis ac prouidentiæ experientiam cuncti capiant.

Ad eos qui hæc edicta pro Chriſtianis tranſferunt ad hæreticos. Cap. VI.

QVI verbis ac rationibus Imperatorum infidelium abutuntur, pro hæreticis apertè ſignificant eam ſe inire rationẽ, qua per Principes emerſit atq; accreuit Chriſtianiſmus ac fides catholica, vt emergant hęreſes & creſcant authoritate Regum, a quibus comprimi oportuit. Non enim ſuis edictis expectarunt illi imperatores, quaſi ſua

ſponte concideret Chriſtianorum religio; ſed eam plures ſic ſtabilire ac prouehere ſtuduerunt. Alij quid quiſque coleret parum admodum ſolliciti, modo imperij promiſcuũ pecus degluberent. Idcirco viderint Chriſtiani magiſtratus, quam de ſe prebeant exiſtimationem orbi Chriſtiano, a quibus infideliũ edicta proponuntur, quibus noxæ ac pœnę eripiant ſectarios. Teſtati ſunt idolorũ Imperatores, magno Chriſtianorũ probro, nequaquã ad hæreticos aut factiones extẽdi oportere, quę Chriſtianis priuilegia irrogaſſet. Ab Aureliano Chriſtiani facti liberi, Pau. Samoſatenum concilij ſuffragio hæreſeos damnarunt. Cùm nollet ille eccleſia abſtinere, quaſi Chriſtiana libertate ſibi liceret perfrui, Imperatorem interpellarunt Catholici, qui

Euſeb.li.7. cap.30.

conuenientiſsimé decreuit illis ecclesiam adiudicari debere, quibus episcopi Italiæ & Romæ in dogmate concordes ſcriberent. Infidelis pronunciauit quem notaret de hæreſi, ac proinde immeritum qui eodem cum Chriſtianis potiretur iure ac impunitate.

Ne quidem rationes quibus infideles Christianos liberos fecerunt, locum habent in hæreticis noſtris & eorum conuenticulis. Cap. VII.

ALIA ratio reformat pactum atque edictum. Religio noſtra duabus partibus coaleſcit, integra fidei puritate, ac morum ſanctitate. Fruſtra de moribus, ſi male habeat fidei fundamentum cui ſuperſtruas. Si Angelis de cœlo homo,

morum bonitate prȩstaret, aliud verò annunciaret populo Christiano nouum & inauditũ, frustra de Christianis moribus gloriabitur. Loquere, respõdebit Princeps catholicus, vt te videã: Da fidei tuæ documentum, vt examinetur ad regulam nobis traditam. Discrimen veræ a falsa religione Christiana non inquisierunt nec curarunt Christũ non professi Principes: Nihil ea de re decreuerunt, tantum qua fide nostri viuerent, inter homines obseruarunt. Si sensissent aut deprehendissent nostros cõtra suam maiestatem vel tantilum moliri, vbi conuentum Christianis aperuissent, aut cõcessissent? Quos non ad vnum è vestigio dissipassent ac sustulissent? Prope singuli indicant suis in legibus nondum se comperisse res vllas nouas a nostris

in Rempublicam exortas. Id vnum excipiunt quo minus Christiani potirentur libertate, si quicquam insidiarum contra imperij statum strui animaduerteretur ab illis. Circa maiestatem Imperatoris infamamur ait Tertullianus, tamen nunquam Albiniani, Nigriani, vel Cassiani inueniri potuerũt Christiani. Christianus nullius est hostis nedum Imperatoris. Si hostes extraneos agere vellemus, non deesset nobis vis numerorum & copiarum. Externi sumus, & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, mancipia, cõciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatiũ, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Sed apud nostram disciplinam magis licet occidi quàm occidere. Tertullianus explicat deinde qui cœtus merito distrahi & prohi-

Ad Scapulam.

Apolog. cap. 37.

cap.38. Apolog. beri debeant, nempe per quos a priuatis parietibus in publicos conuentus turbæ & factiones erumpunt. A Christianis verò nihil huiusmodi timendum, vt qui omnino abstinerēt publico ac publicis negotiis & comitiis. A suis cœtibus Christiani Apolo.39. redibāt sine telo, solitarij, ac modestissimi, sicut idem author scribit. E nostris conuiuiis (ait) disceditur nōn in cateruas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum, &c. Nos insuper scribit Ad scapulam. Tertullianus, quos sacrilegos existimatis, nunquam in furto deprehendistis, nedum in sacrilegio. Vectigalia Imperatoris gratias agent Christianis ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus. Nihil elargiebantur sicariis, ve Apolog. 42. & 43. nenariis, ariolis aut mathematicis.

Ista sunt ex illis quibus pacem publicam colebant Christiani, & quibus adducti Principes indignum censebant a Republica præter alios eiici: Congruant necne nostris hæreticis, publica probatio est, nõ priuata, cui suo more impudentissimè fidem detrahunt etiam in crimine deprehensi. Frustra a nostris hęreticis ꝓdigia postulauero, quibus in admirationẽ versi principes se tyrannos agnoscãt & infideles. Frustra res bene gestas quibus regnis cõmodarint. Vitam eorum publicam cum vita communi Christianorum veterum conferamus. Cassianos, Nigrianos, Albinianos vidit Ambasia. Sẽtit Lutetia cædem aggressos a clarissimo senatus præside Minardo, cùm a tribunali ac iure dicẽdo nihil mali suspicatus domum rediret. Cateruas cęsionum

ſcholaſticorum ſenſit Pratenſis academia. Albinianos ac Nigrianos patitur Scotia, patitur pridem Geneua, iam pateretur Gallia, niſi deus adoleſcentulos Principes è coniuratorum manibus ſua ſolius potentia liberaſſet. Eadem iterum extimeſcit non mediocriter, ne in eos recidat quos intra ſinum ſerpẽtes alit ac fouet in ſuam perniciem miſera. Inſuper quo magis ſe conferant Chriſtianis hæretici, quoties populum poſsident & non Principem, in eum ſcilicet, arma non corripiunt, tributa ad aſſem perſoluunt, a rebellione abhorrent. Germania ex deſertoribus fidei & eccleſiæ noſtræ contra principes pertulit myriadas anabaptiſtarum, Zuinglianorum, antea Bohemorũ, Taboritarũ, atque aliorum, quorum rebellione & conflictu at-

trita in ſectas innumerabiles diſcerpitur. Lutherani tandem contra ſuũ Cæſarem coniurati, ex imperatore Carolum Gandauũ pronunciarunt, ſed deus catholici principis vltor, fecit vt iterum Carolus fruſtra ſalutaretur & adoraretur a proſtratis cõiuratis inuictiſsimus imperator. Quid aliis principibus ſit expectandũ nouiſsime clamat Scotia. Quid corrupto per Iuſtitiæ denegationẽ populo Galliarum ſperare debeamus, augurari minime eſt arduum. Francorum Chriſtianiſsimus Rex, & populus, adhuc perſtãt in eccleſia catholica: Clerus magis integer, ſi aliqui paſtores in lupos non degenerarent. Nobilitas nõ vbique vitiata. Nihilo minus quaſi ſoli Regnum poſsideant, volitant armati Hugonaldi, ac non niſi omnium cædes loquuntur,

& exitiũ, a quibus est aliquid dictũ, aut factum contra impiiſsimos eorum conatus. Agunt conuenticula, atque inde prodeunt cateruatim cæſiones, ac gladiatores accincti, ſine telo & quidem vario, ſi ſuppetit, pedem domo non efferunt, ne pagum quidem apud nos maiori ex parte in Francia occupãt, nihilominus etiam in florentiſsimis vrbibus loca publica, publicos cœtus, præter eos qui fiunt in eccleſiis, primi adeunt & frequẽtiores, vix ſoli, rarius inermes. Ambitioſè in magiſtratus & negotia Reipublicæ, quoties oſtẽditur via, irruũt: pre ſe, aliis neglectis de omnibus ad arbitrium decernũt, ac publica conſtituũt, vt ſunt homines imperitiſsimi, quib⁹ nihil eſt iniuſtius, nihil recte dictũ aut factum putant, niſi quod ipſi dixerint aut

fecerint. Sacerdotia & ecclesias inuadere, depopulari, fraudare, atque omni sacrilegio se contaminare, summa ac suprema est illis pietas. Direpta ex ecclesiis, sicariis elargiuntur liberalissimè, & hominum generi qui impudentissimè nouerint ecclesiasticos atque alios Christianos contumeliis omnibus proscindere, ac ledere, atque ad seditionem psalmos canere, Christíque nomen sacrilego ore polluere. Hæ sunt publicæ virtutes hæretici populi, quibus veteres Christianos referant & exhibeant, Vtinam falsa sint quæ multi experiũtur domi ab illis flagitia ac crimina committi & designari.

Quibus rationibus aliqui catholici Principes Sectis libertatem permiserunt.

Ad edicta Principum *Cap. VIII.*

NEMO alienus ab hæresi rerũ potitus est, qui ad nostra tempora videns ac prudens ecclesiam catholicã sectis aperuerit, aut tradiderit edicto, imo qui non omni conatu restiterit, ne locum inuenirent aut longius serperent. Tãtum quoties fidem nostram oppresſit acerbius tyrannorum aut hæreticorum Principum crudelitas, aliqua a piis Imperatoribus qui illis successerunt, de libera religione edicta proposita sunt, quibus catholici quasi intermortui reuiuiscerẽt ac respirarent, parem libertatem saltem cum aliis adepti, tantisper dum constitueretur Imperium. Ita se gesserũt post tyrannos Constantinus, post apostatam Iulianum Iouinianus, post Valentem

lentem iniquũ Gratianus, & ad Imperij sortem ab eo ascitus Theodosius. Hos ad eam libertatem irrogandam etiam fefellit naturæ bonitas, qua inter omnes excelluerunt, fefellit imprudentia vt crederent hęreses sua spõte, aut piorum, maxime Principis exemplo desitũras, & ad ecclesiamredituras: Fefellit decessorum suorum immanitas plane scythica in catholicos, a qua vt longissimè abessent in dissolutam clementiam progressi sunt, cuius tamen statim eos pœnituit vt postea declarabitur. Istud est edictum Constantini. Parem cum fidelibus hi qui errant, pacis ac quietis fruitionẽ accipiant. Ipsa si quidem communicationis ac societatis restitutio ad rectam etiam veritatis viam ducere potest. Nemo cuiquam molestus sit. De Iouiniano *Euseb. li. 2. de vita Constant.*

Nicepho. li.10.c.42. ita ferunt historiæ. Hoc habuit Iouinianus consilium vt persuasione potius quàm vi inter dissidentes, contẽtionis dirimeret studium, nec cuipiam qualemcunque tandem consectaretur fidem, molestiã faceret, neque quicquam ad charitatem summam faceret reliqui. Eis verò qui ad concordiam & vnanimitatem ecclesiam reducere studerent, maximum exhiberet honorem. De Gratiano li.7.ca.10. narrat Sozomenus legem tulisse, vt teneret quisque quam vellet religionem, demptis Manicheis, Photinianis & Eunomianis, quoniam Valentis patrui ei animus disciplicebat quo indignis modis nostros discruciauit. Theodosius nullam hæresim Nicepho. li.12.c.29. persecutus est, neque quempiam ad communionem coegit, sed potius permisit vt hęresis quęque loco suo

pro eo atque visum esset, conuẽtus agere atque etiã de fide in Christum pro cuiusque captu sentire, atque opinari posset.

Alios egit trãsuersos Aulicorum pessimum cõsilium, quibus omnia temere crederent: sicut Constantinum Soror, ac presbyter cõmendatus a Sorore testamento, & actor fabulæ Arrianicæ Eusebius Nicomediensis deceperunt, vt Arrius & eiecti a Niceno cõcilio sectatores restituerentur in integrum. Instãtius Saluianus & Priscillianus quam a Damaso & Ambrosio episcopis non potuerunt, largiendo & ambiendo a Gratiano sectę Priscillianorum licẽtiam extorquere conati sunt. Corrupto Macedonio officiorum magistro, rescriptum impetrarũt, quo calcatis quæ prius in ipsos erant decre-

Socrates li. 10. cap. 25. & aliis.

Seuerius sulpitius. lib. 2.

tis reduci in ecclesias iubebantur. Nam per libidinem & potentiã paucorum ibi cuncta erant venalia, addit Seuer⁹ sulpitius. Eo pacto Arriani eiecti a Theodosio persuadẽt his quos habebant in palatio vt Imperatorem tentant. Etenim ea spectantes quæ sub Constantio accidebant, voti se cõpotes futuros arbitrabantur. Ea res catholicæ ecclesiæ adhærentes sollicitos ac meticulosos reddebat, sed profuit vxor, quæ quominus Eunomius aut alij ad Imperatoris colloquium admitterẽtur, cauit, & si audiendi ac videndi illos mira cupiditate teneretur Theodosius ab aulicis incitatus. De aliis habebitur sermo qui in aliorũ gratiam imprudentes peccarunt, cùm in hæreticissmo a nobis agetur de his quibus peruertuntur Principes. Quod dixit Fl.

Nicepho. li. 12. cap. 8.

Vopiſcus ad Reip. vtilitatem, dico ad religionis catholicæ conſeruatio-nem & quietem, ſatius eſſe corrupto Imperatore cõſiliarios & laterones eius ſapere, quàm illo ſano ac bono, hos delirare aut inſanire. Iuſtina Va-lẽtiniani mater exemplum præbuit. *Nicepho.li. 12.cap.19.* Arrianam hæreſim viuo marito ce-lauerat, nacta filij imperium conti-nuo Ambroſium tẽtauit, vt mitius negotium tranſigeret, ille obſtitit conſtantia quę deceret Epiſcopum. Conqueſta quaſi de iniuria apud fi-lium, Beniuolum qui tum præerat legum ſcriptoribus iuſsit, vt quàm velociſsimè legem cõſcriberet, qua fides Arriana in Ariminenſi ſynodo aſtutè & ſubdolè conſcripta confir-maretur. Cùm rem hãc detrectaret, adhærebat enim catholicæ eccleſiæ, hortatur eum & maioris honoris

promiſsionibus allicit. Beniuolus verò detractum ſibi cingulum ante pedes Imperatricis proiicit clamitans, ſe neque præſentem ſibi neque ampliorem honorem pro mercede impietatis vindicaturum. Alios a coercendis factionibus retinuit maioris mali timor ac periculum, nõnunquam etiam pudor. Arcadius Imperator inconſtantiam Gainæ ducis ac barbari, tyrannidémque quæ ab eo expectabatur, ſuſpectam habẽs, dubitauit an ſacram ædem Arrianis vti poſtulabat, cõcederet. Niſi Chryſoſtomi oratio barbari audaciã fregiſſet, metu Imperator annuiſſet. Non oportet, dixit Chryſoſtomus, principem quicquam contra deum audere, ſiquidem illi vera pietas curæ eſt, ſed potius bene conſtitutas leges ſeruare, & eam potiſsimum quæ

Nicepho. li. 13. cap. 5.

contra hęreſes alias promulgata eſt. Conducibilius imperatori imperio potius cedere, quàm per impietatẽ ædem dei prodere. Iuſtinus Imperator cùm adhuc in Orientis partibus ſuo tempore per ſingula loca hæreſis Arriana vigeret, ſatagere cœpit vt nomen hęreticorum extingueret. Quod cùm audiſſet Theodoricus Gothic9 Arriana lue pollutus, Iohãnem papam, Theodorum, Hypatiũ, Agapitum, cõſulares viros, conſtantinopolim miſit, ac Iuſtino mandauit, niſi quantocius Arrianis ſuas eccleſias reſtitueret, & in pace degere ſineret, ſe populos omnes Italiæ deleturum. Legatorum precibus permotus Iuſtinus, ne periret Italia, Arrianos ſui iuris reliquit ait Pau. Diaconus. Negat Blondus, ideo Rauennę legatos necatos fame & carcere a

Pau. Diac. lib. 18. Theodorico. Heraclius Imperator a quibuſdam epiſcopis in Monothelitas imprudenter abductus, ea hæreſi poſtea Concilio Hieroſolimitano damnata, cùm erubeſceret reſipiſcere, henoticam id eſt formam conciliandi partes diſsidentes a Zenone latam, ſecutus eſt, vt ſuo edicto nec vnam opinionẽ, nec duas aſſereret, ſed neutram.

Ratio conceſſæ libertatis ab hæreticis Principibus. Cap. IX.

OMnium hæreticorum qui ſceptra tenuerunt, dimittẽdi alias ſectas liberas, triplex fere fuit ratio. Vna, vt ſi non pondere, ſaltem multitudine catholicos obruerent. Ex altera morbum initio celarunt, quaſi humanitatem animi ſui in om

nes ostenderent, per quam, cùm de fidei constantia non deiicerentur catholici, oblata occasione eos vt perfractos & clementiæ Principum rebelles nefarie afflixerunt. Tertia laqueum parauit bonis ac piis viris, quos quasi seditionis reos peregerunt, a quibus contra Iesu Christi religionem sacrilegia libera ferri non poterant. Constantius vt crudelitatem in catholicos aliqua mansuetudine emolliret & condiret, alias hæreses vt sorores suas quæuis audere & innouare amice sinebat, vt antea ex Athanasio referebamus.

Iulianus (apud Augustinum est,) *Epist. 166.* basilicas hæreticis & templa demoniis reddidit, eo pacto credens Christianum nomen posse perire de terris, si vnitati ecclesiæ inuideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse per

mitteret. Idem animus apparuit in Valente, Constantino Copronymo ac Nicephoro, de quibus antea attigimus. Iulianus etiam initio quieuit quasi per humanitatem alienus esset

Sozo. lib. 5. cap. 5. a sæuitia. Arbitrabatur enim paganismum facile superaturũ, si se multitudini Christianorum pręter spem clementem ac mitem preberet. Omnes ab exilio reuocauit qui sub Constantio propter religionem exules facti fuerãt, & proscriptis bona reddidit, ac simul populo denuntiauit, ne quem Christianum læderent aut contumelia afficerent, vel violenter ad sacrificia traherent. historia apud Theodoretũ legitur, qua fictę mansuetudinis Principem elegãter agit.

li. 3. cap. 22. Pater ciuis Berrœensis eiecerat sua domo filium propter impietatem, ac palam abdicauerat. Is obuiam fa-

ctus Imperatori, suam impietatem gratam Iuliano, & patris abdicationem exponit. Ille iubet otioso esse animo adolescẽtem, se enim ipsi patrem reconciliaturum. Cùm itaque venisset Berrœam inuitat magistratus, & primates ad cœnã, inter quos erat & pater adolescẽtis istius. Eum in eodem lectulo cum filio discumbere iubet, & inter epulandum ad patrem conuersus, non æquum inquit, mihi videtur vim facere sentẽtiæ quæ in diuersum feratur, & se alio transferri nolit pati. Proinde neque tu cogas filium tuum nolentem sequi dogmata tua, nam ne ego quidẽ te cogo mea sequi, cui nihil esset factu facilius. At pater exacuens animum suũ diuina fide, De hac furia (inquit) verba facis ô Imperator, qui odio dei mendacium præposuit

veritati? Tum Imperator induta per ſona mãſuetudinis, Heus tu (inquit) a maledictis abſtine. Et intuitus ado leſcentem, mihi, inquit, res tuæ curæ erunt, quãdoquidem patri vt eſſent perſuadere non potui. Anaſtaſius ab Euphemio patriarcha fuerat Eccleſia excluſus, quia opinionem de ſe præbuiſſet quaſi Dioſcori contagio ne eſſet infectus. Manicheos multis fouere videbatur, cùm eius mater ar dore ingenti illos conſectari cerneretur. Matris inſuper frater Clearchus Arianiſmi compertus fuerat. Ideo Arrianis & Manicheis purpura Anaſtaſij lętitiam attulit mutatio nem aliquam expectantibus. Ille vt morbum occultaret, & ſe de Euphemio honeſtè vlciſceretur, initio Imperij iurauit ſe nihil innouaturum in religionẽ, ſed fidem catholicam

Nicepho. li. 16. cap. 25. & 26.

ſincerè defenſurum. Deinde quaſi pacificus eſſet, ac propoſuiſſet tranquillitatem ſibi conſeruãdam, ſimulauit ſe nihil immutaturum in eccleſiis. Calcedonẽſem ſynodũ (de qua digladiabantur ſectæ) neque propalam conſtitutionibus Imperialibus promulgauit, nec reprobauit, verũ ſicuti eccleſiarum præſidibus videbatur, de ea ſentiebant. Exortis inde turbis omnes a quibus intelligebat eam ſynodum anathemate configi, & impudenter damnari, vel rurſus a quibus audiebat apertè & clarè eandẽ in ſacris depredicari, quaſi vtrinque ad res nouas ſpectarent, è thronis epiſcopos deiiciebat, & ĩhumaniter exigebat. Ita quaſi eius culpæ affines & turbarum authores, Euphemium & Macedonium expulit, hæreſim prodidit, Calcedon. Conciliũ *Nicepho. li. 16. cap. 25.*

proſcripſit, & tanta ſeditio exorta Conſtantinopoli propter hæreſim a principio promulgatam, vt ille in graueſcentis cladis in populo perteſus, & periculo proximus, prodierit in circum ſine corona, clamans paratum ſe imperio quàm promptiſsimè abdicare. Magnæ clades poſtea per Vitalianum illatæ ſunt, cùm fruſtra Anaſtaſius verſipellis polliceretur reſipiſcētiam. Poſtremo ictus fulmine periit.

Paul. Diac. lib. 5.

A Michaele Balbo Imperatore, Amorrhæus Nicephor⁹ patriarcha exul, per literas petiit, vt imagines & catholicam religionem reſtitueret: Reſpondit ſe neque quicquam in religione nouaturum, neque eccleſiæ ſtatum mutaturum, neque coacturum eſſe quenquam vt aliter quam vellet de deo ſentiret, ſed hæc verba

Zonaras tom. 3.

fuêre. Neq; enim multo post animo suo declarato, orthodoxos oppugnauit, ac præter multos alios crudeliter tractatos, in D. Methodiũ grassatus, Euthymium Sardorum Archiepiscopum, in exilium misit. Ista vulpium clementia in leonum post coactam ad tempus simulationem desinit feritatem, & ad ingenium redit.

Quid ad edicta liberæ religionis sit consecutum & consequatur. Cap. X.

OMnia edicta ad Christianam religionem liberè & ex cuiusque sensu colendam ad vnum finem propemodum pertinuerunt, a quo plane vniuersa aberrarunt. Infideles, Catholici, atque Hæretici

principes vt plurimum eam profeſ-ſioně ſtatuere ac propagare ſtudue-runt, quæ cauſam ſanctioni attule-rat, & cui fauebant ipſi propēſiores, aut illi a quibus perſuaſi ſunt. Quam uis diuerſis ambagibus ingreſsi ſint, tamen ad eam metam omnes cōten-derunt. Omnes viciſsim propoſito exciderũt, & dum pluribus ſellis in ſident, omnibus ſunt excluſi, aut dũ inter duas vndas natant, ab vtraque ſubmerſi, niſi qui conſilium ſtatim mutarunt. Pagani Imperatores, qui bono animo pro Chriſtianis leges tulerunt, non admodũ fidem catho licam ac veritatem promouerunt, cum ſua fruerentur licentia hæretici, ſua iura retinerēt ac tuerērur phi-loſophi & idololatrę, adeo vt noſtri ſcriptores de iſtis non leuius cōque-rantur, quàm de perſecutionibus.
Poſt-

Postquam ad Constantinũ delatum est imperium, auspicatus est a publico decreto, quo liberos Christianos pronuntiauit. Hoc omnes ad se pertinere audacissimè iactabant hæretici, & Christianorum nomen ac priuilegium suo more præ aliis sibi arrogabant. Coactus est Imperator illos coercere, & decretum suum alio explicare, quod ita habet. Iam olim quidem considerantes non esse religionis libertatem prohibẽdam, sed vniuscuiusque animo ac volũtati facultatem tribuendã, res diuinas pro suo voto quemlibet curare, & Christianis hęreseos ac religionis suæ fidem custodire iussimus: verùm quoniam multæ ac variæ hæreses per illam Antigrapham pullulãt, qua huiusmodi permissa est potestas, visum est ea perspicuè adiicere, quibus for

Euseb. li. 10 hist. cap. 5.

ſan nonnulli ex illis paulopoſt ab hu iuſmodi obſeruãtia prohibiti ſunt. Cùm igitur felici ſucceſſu ego Conſtantinus Auguſtus, & ego Licinius Auguſtus Mediolanũ veniſſemus, & quæcunque ad vtilitatem & profectum Reipublicæ facerent, inquireremus, hæc inter alia multa cũctis profutura viſa ſunt, Imo cum primis conſtituenda decreuimus, quibus reuerentia & cultus erga deum comprehenduntur, hoc eſt quibus etiam Chriſtianis omnino liberam optionem, religionem quam velint ſequendi, daremus, quo, quę vſpiam eſt cæleſtium rerum diuinitas nobis & cunctis noſtris ſubditis placida eſſe poſsit. Secundum hanc itaque noſtram volũtatem ſano, ac rectiſsimo iudicio decreuim⁹, nemimi prorſus denegandum eſſe poteſtatem Chri-

ſtianã, obſeruãtiam, vel religionem eligendi,ac ſequendi,ſed vnicuique dandam eſſe hanc facultatem, vt animum ſuum illi religioni addicat, quam ipſe ſibi cõpetere putat, quò nobis deus conſuetã in omnibus diligentiam & probitatẽ præſtet. Hæc ita nobis placere neceſſarium erat ad te reſcribere, quo ablatis in vniuerſum hęreſibus, quę prioribus noſtris literis deuotioni tuæ pro Chriſtianis miſsis continentur, & quę admodum ineptæ & a noſtra clementia alienæ videntur, illæ abſcindantur. Et nunc igitur liberè ac firmiter quiſquis hanc facultatem habet, vt Chriſtianorum religionem ſeruet, hoc ipſum ſine omni moleſtia faciat. Hæc tuæ diligentię pleniſsimè ſignificãda eſſe decreuimus, vt ſcias nos Chriſtianis liberã & abſolutam

potestatem suam ipsorum seruandi religionem dedisse. Iouiniano creato Imperatore, cùm ad omnes vbique præfectos scripsisset, vt cunctos liberè rem diuinam facere, conuentus agere, & deum colere paterētur, modo vna in imperio Romano ob seruaretur fides & religio Christiana, illico ecclesiarum præsides questiones de suis dogmatibus mouerunt, & quia nossent hæretici, pietatem principis & humanitatem, prę-occupandum sibi esse summo studio putabant. Primi omnium ad fuerunt Macedoniani, qui τὸ ὁμοιούσιον, id est æquisubstantiale, pro τοῦ ὁμοουσίου consubstantiali recipiebant. Libellum itaque Imperatori obtulerunt, in quo deo gratias de eius imperio agebant, ac deinceps petebāt, vt aduersarios Anomœos, qui ine-

Nicepho. li. 10. cap. 39. & 40.

qualitatem asserebant ex ecclesiis expelleret, & ipsis illas gubernandas committeret. In summa nihil omiserunt eorum quibus dicendo & assentando Principem ad se pertraherent. Animaduersa eorum calliditate, tum respondit Iouinianus. Ego contentionis studium odi, concordiæ affectatores vnicè amplector & amo. Post Iouinianum, Valens cum solis Arrianis studeret, alias sectas libertate non traduxit in suas partes, sed in minutas distraxit. Gratianus qui Valēti succeßit, quoniam religionibus inter se pugnanti bus tantillum indulsit, Macedoniani, qui antea metu cōpulsi ad ecclesiam confugerant, rursum separationem instituerunt, nec postea redire ad preces & monita Theodosij voluerunt, iam licentia obdurati, sed

Nicepho. lib.12.

cum aliis expulsi sunt. Ex eadem lege in vna Antiochena ciuitate triũ sectarum tres episcopi, Dorothęus, Paulinus, & Meletius ac passim turbæ quoad abrogata lex est.

Nicepho. li. 12. cap. 29. & 30. Ex facilitate Theodosij, quę tum supererant hęreses, in factiones multas abierunt. Eunomiani dissecti in aliquot cohortes. Eodẽ modo Macedoniani, Arriani, Nouatiani, quorum fragmenta vereor ne plures paginas occuparẽt. Legat Nicephorũ & alios cui vacat. Ex libertate dissidiorum obfirmari eorum animos, qui alteram tuentur partem & sustinent, comprobatum est ex Henotico Zenonis, ab Heraclio repetito, quo neutralitas decernebat de Calcedonensi synodo, quasi ad religionem indifferẽs esset, comprobatum etiam ex simulata ab Anastasio mo-

rum suauitate, sed re vera malitia ac *Nicepho. li. 16. cap. 25.*
versutia, vt antea diximus. Nam qui
Calcedonensem synodum fortiter
defendentes propugnabant, ne verbum quidem vnum, aut syllabam, ac
ne apicem quidem moueri aut mutari patiebantur, sed per libertatem
magnam a commercio & communione aliorum resiliebant, adeo vt
ne in ędes quidem suas admitterent.
Contra qui non recipiebant ea quasi recte decreta, furebant, nec tãtum
eam synodum non approbabãt, sed
etiam publicè vna cum tomo Leonis anathemate iugulabant. De Henotica Zenonis idem faciebant, &
a seipsis inter se dissidebant, ita vt
quidam duas naturas in Christo,
quidam vnam dicerent, nonnulli literis insidiosè compositis per fraudem decipiebantur: Alij pacem sibi

confectandam putabant. Id malum eo processit, vt ecclesia quælibet in factiones suas diuideretur, & episcopi a consuetudine mutua abhorrerent. Proinde in multas sectas Orientales, Occidentalésque atque etiam Lybicę partes dissectę sunt. Neque Oriens cum Occidente, neque rursum Lybia his consentire voluit, & quod omnium indignissimũ est, neque ipsi inter se Orientalium ecclesiarum antistites ad communionem conueniebant, neque Europei atque Occidentales, neque Lybici episcopi conuentus inter se agebãt. Tãta cõfusio mentiúmq; caligo orbẽ vniuersum incessit. Ex eadem Henotica Zenonis iterũ ab Heraclio ꝓmulgata, Seueriani in popinis & balneis ecclesiæ catholicę detrahebant, ac iactabant de Heraclio. Primum

Paul. Diac. lib. 18.

Calcedonitæ,quæ ſunt Neſtorij ſen ſerunt, deinde reſipuerunt ad verita tē conuerſi,ac nobis coniuncti ſunt. Nunc pœnitētes ſuper hęc,nec men tis compotes, vtrunque amiſerunt, neque vnam,neque duas in Chriſto opiniones ſtatuunt.Poſtremo ex ho rum neutralitate & Anaſtaſij licentia, multa milia hęreſeō pullularūt. Inter eos qui Calcedonenſi ſynodō reſiſtebant Acephali exorti, Theodoſiani,Iacobitę,Monophyſitę,Tritheitæ,Agnoitæ,Theopaſchitæ, Armenij,atque alij,quia quilibet quod ſibi viſum erat, fidei inſertū voluit, & ita quamplurima turba defectorum a veritate obrepſit,donec Iuſtinianus imperialia ſceptra accepit, a quo religio compoſita eſt, & per aggregatum concilium quintum explauſæ ex eccleſia ſecte, & grauiſſi-

Nicepho.li. 18.cap.45.

Pau.Diac. lib.18.

mis edictis extinctæ.

Nicephori vesania & elusa de criminosis iudicia fecit, ne quis deferret aut redargueret vllam impietatem, ideo Paulicianorum, Atinganorum, atque omniũ, qui indignè ac fede dei maiestatem læderẽt, colluuies inũdauit. Vna etiam audacia adulteriorum, latrociniorum, ac scelerum omnium Imperium Christianorum polluit, ex quo dilabi cœpit, ac tradi membratim in Turcarum potestatem.

Paul. Diac. lib. 24.

Vt itaque colligam quod ex antiquitate animaduerti, concessa venia hęresibus, peiores inuitat, nec video aliter hactenus succesisse. Theodosius ab A scholio Thessalonicensi aliquando requisiuit, cur Occidens omnis concors esset contra Arrianismum, & alias sectas: Oriens verò

Nicepho. li. 12. cap. 6.

vſque adeo diſsideret. Cauſam reddidit Aſcholius, liber Occidens, ait, malo huiuſmodi, quòd Conſtantinus Conſtantini maximi, & Conſtans miminus natu filius ſucceſſoréſque eorum Valētinianus, & Gratianus, patriam fidem ipſi conſeruaſſent ac prætexiſſent. In Orientem verò variis ex partibus malum hoc veniſſe dixit, propter epiſcopos qui Arrium fouiſſent, tum quia malæ ſemē tis ſatoribus non parum momenti contulerit Conſtantij leuitas, & Valentis improbitas. Quærit Nicephorus cur frequens ſecta Nouatianorū fuerit Conſtantinopoli, Romæ verò & Alexandriæ minime. Hic, ait, per epiſcopos catholicos ſemper eis ademptę ſunt eccleſię, neque cogendorum conuētuum libertas eſt permiſſa, poſt ablata omnia, in iudicia

Nicepho.li. 14.cap. 13.

quoque ipsos protraxerunt. Ideo in angustias redacta secta. Constātinopoli verò non eadem passi sunt, præterquam enim quod nō expellebantur, intra vrbem etiam cogere ecclesias licuit. Ab eodem fusius explicatur quantum momentum habuerit ad comprimendas hæreses lex lata a Constātino, quam proximo capite recitabimus. Per eam inquit legem quantum ego colligo, multæ hæreses, memoria earum sublata, diffluxere. Nam cōstitutione ista promulgata difficile eis fuit publicè seorsim conuenire, multo verò minus clandestinos cœtus cogere, episcopis loci cuiusque id obseruantibus. Proinde metu eo coerciti catholicæ ecclesiæ sunt vniti. Ne videar serere, & hoc periculoso tempore de seditione potius admonere, quā deterrere;

Nicepho. li. 8. cap. 25.

non dilatabo quàm fœcundum ſit tumultuum, atque omnium mutationum in Republica ſeminarium, factiones effrenatas dimittere, præſertim in religione, vbi quęque pars arbitratur ſe obſequium deo præſtare. Natas ex hæreſibus ſeditiones narrare differemus in tempus pacatius, & locum, quo de fine hæreſeon exponemus (ſi deus dederit viuere) quid legerimus. Vt hunc locum concludam, tantum ab illaudatis video commendari, qui eccleſiæ perfugis licentiam cõmunem cum aliis Chriſtianis tribuerunt. Vnus Themiſtius philoſophus Chriſtianus, ſed dux & author hæreſis Agnoitarum, libertatem opinionum in noſtra fide ſuaſit Valẽti, & Iouinianum extulit, quod vnicuique, quam religionem vellet, ſequi permiſiſſet, in eius ſententiam

Socrates li. 4. cap. 33. Nicepho. li. 10. cap 42. li. 18. c. 50.

alio libello disputamus.

Donatistæ consecuti a Iuliano sibi per Constantinum ablatas ecclesias, impotentissimi assentatores apud Christi Apostatam solum residere iustitiam acclamabant, quia ab illo omnes sacrilegi sua sacrilegia recepissent. Cum Iuliano a nostris hæreticis audiant sua Encomia Reges, & magistratus, a quibus opprimuntur catholici, vt impunè vagentur ac grassentur profligatissimi sectarum authores & professores.

August. Epist. 48. & 50. & omnibus libris contra Donatistas

Imperatores catholicos concessæ libertatis pœnituit, & hæreticos statim sustulerunt. Cap. XI.

DVO ad seueritatem exercendã in hæreticos, catholicos episcopos, & Principes compule-

runt,illos etiam deteriores fieri licẽtia eadem duo docuerunt,Ratio, & experientia. De ratione dictum eſt a me breuiter,& ex parte. Victus experiẽtia Conſtantinus reuocata ſua ſanctione de liberis ſectis, omnes hæreticos quaſi iracũdior fact⁹ hoc edicto configit,atque agnoſcit quid proſit licentia.

Victor Conſtantinus Maximus, Auguſtus,hæreticis. Agnoſcite nũc per hanc legis conſtitutionem, ô Nouatiani,Valentiniani,Marcioniſtæ, Pauliani, & qui Cataphrygæ vocamini, & quotquot in vniuerſum hæreſes veſtris cœtibus conſtituitis, quantis ſit mendaciis vanitas veſtra ĩtricata,& quomodo venenatis quibuſdam pharmacis doctrina veſtra contineatur, ita vt per vos ſani ad infirmitatem, viuentes verò ad perpe- *Euſeb.lib. 3.de vita Conſtant.*

tuam mortem abducantur. O veritatis inimici, vitæ hoſtes, & perditionis cõſiliarij. Omnia ſunt apud vos veritati contraria, ac turpibus maliciæ ſtudiis, & abſurdis admodum fabulis conſona, per quæ vos mendacia ſtruitis, & inſontes premitis, lucem fidelibus negatis, ſub prætextu diuinitatis ſemper delinquentes omnia polluitis, innoxias ac puras cõſcientias læteferis plagis vulneratis, ac ipſam prope diem, vt ita dicam, humanis oculis eripitis. Et quid neceſſe eſt ſingula recenſere, quum de malis veſtris aliquid pro dignitate loqui neque modici ſit temporis, neque negotiorum noſtrorum? Sunt enim abſurditates veſtræ ita prolixę & immodicæ, ita, ſi explicentur omnis generis feritate refertæ, vt ne integer quidem dies ad enarrationem earum

Nõ mirum ſi catholicos vocent idiotas quibus pro libidine imponunt.

earũ ſuffecerit. Et alioqui auditum etiam huiuſmodi declinare, & oculis auertere cõuenit, ne ſi cuncta ſingulatim recenſeantur, ſyncerum ac purum fidei noſtræ propoſitũ polluatur. Quid igitur? Tolerabimúſne poſthac huiuſmodi mala? An lõga expectatio facit, vt etiã ſani quaſi peſtifero quodam morbo inficiantur? Qua ergo ratione radices, vt ita dicam, huiuſmodi nequitiæ publica animaduerſione non amputamus? Igitur quoniam impoſsibile eſt, vt amplius perniciei veſtræ exitium feratur, per hanc legem interdicimus, ne qui veſtrum poſthàc congregari audeant. Quapropter cũctas etiam domos ĩ quibus cõuenitis, è medio tolli pręcepimus, cura hac noſtra eo vſque progrediente, vt non modo non in publico, verum neque in pri

uatis ædibus, aut locis quibuſdam ſeparatis, ſuperſtitioſæ veſtræ demẽtiæ cœtus cõcurrere liceat: ſed quod multo eſt honeſtius, quotquot veræ ac puræ religioni ſtudetis, ad catholicam eccleſiam accedatis, & ſanctitati illius communicetis, per quam & veritatem conſequi poteritis. Separetur autem omnino a ſtatus noſtri felicitate peruerſæ ſententiæ veſtræ ſeductio, hoc eſt ſcelera & pernicioſa hæreticorum & ſchiſmaticorum ſententia. Decet enim felicitatem noſtram, qua cum deo fruimur vt qui bonis ſpebus viuũt, ab omnis generis inordinato errore ad rectã viam, a caligine ad lucem, a vanitate ad veritatem, a morte ad ſalutem ducantur. Vt autem ad hanc curam etiam neceſſaria potentia accedat, pręcepimus, ſicut dictum eſt, vt cun

cti superstitionis vestri conuentus omnium, inquam, hereticorum oratoria, si tamen oratoria nominare conuenit, sine omni contradictione auferantur, & catholicæ ecclesię absque vlla mora, & reliqua loca rebus publicis adiudicētur, nec vlla prorsus vobis deinceps conueniendi facultas relinquatur, ita vt ab hoc pręsenti die nullo loco, siue publico, siue priuato infandi vestri conuentus congregari præsumantur.

Importunitate Arrianorum idem postea Arrium ab exilio reduxit, Athanasium vt seditiosum è cathedra deiecit, quia fraudes ac simulationē detegeret, nec pateretur restitui Arrium. Athanasij innocentia comperta, atque hęreticorum malicia depręhensa, quasi publica pœnitentia errorem fatetur imperator, & mores *Ex Athanasii. Apolog. 2.*

hæreticorum ex accepta licentia describit. Constan. Max. August. catholicæ apud Alexandriam eccles. Quo iustitiæ fides recessit cum tantarum tenebrarum caligine inuoluamur, neq; id tam ex errore, qui multiplex est, quàm malignorum hominũ vitiis, dum & propugnatores vecordiæ sustinemus, & eos qui æquitaté ac veritatem profligant, etiam cùm id sensibus nostris percipiamus, negligendos putamus. Quodnam id genus peruersitatis, inimicos non reprehendimus, sed latrocinio nos comites damus, vnde fit vt viam quandam sibi facillime strauerit nemine repugnante perniciosissima fraus. Dei lege & bono ingenio instructi toleramus tamen inimicos turbationum, & tumultuũ facibus quasi incendia miscere, idque neque oculis

pręditi cernimus, neque legis sentẽtia imbuti sentimus. Quantus igitur stupor nostram vitam incesſit, cùm nostrimet tam incurij simus etiam Deo admonente? Quid igitur num id mediocre aut tolerabile malũ est? Num pro hostibus habendi sunt? Nónne in domum & populum dei ante oculos nostros per sęuiciam de bacchantur, & probra faciunt scelerati illi? Iam quanta id cum vesania faciant, ipsis vobis cogitãdum relin quo. Stulti enim illi in lingua sua sitam habent malitiam, plumbeásque iras ita secum circumferunt, vt seipsos mutuis vicibus feriant, & nos secum ad auctarium sui supplicij abstrahãt. Interim qui recta docet, hostis iudicatur, qui autem inuidiæ vitium præ se fert, populum mansuetũ quod minimè oportuit, inuadit,

euaſtat, abſumit, & ſeipſum vltro corrumpit, gloriatur, extollit, veritatem ſubuertit, & fidem circũuenit, donec ſuæ conſcientiæ cauernam & latibulum quæritando inueniat. Ferocitas igitur agreſtis eos miſeros facit, qui ita temere ſeipſos cùm indigni ſint, efferant inclamando, hem ſcelera, illéne presbyter eſt? aut illéne puer? mea exiſtimatio attingitur. Mihi hoc ipſum debetur, ab illo oblatum eſt. Ego igitur omnibus ſpoliatis pro viribus nocebo. Luculentum inſaniæ tumultũ dicas, ſi acies, conciliabula, aut comitia iſtorum importuniſsimorum conuentuum videas. O noſtrã in eccleſia Dei peruerſitatem, ſpectaculúmque maligni & dementis animi. Nũquámne tandem pudefiant? Nunquámne ſemetipſi improbabunt? Nunquam

in animo morsus sentiẽt, vt vel nũc saltem contra imposturam & rixas dignum aliquid animo concipiant & sentire videãtur? Vis sola inuidiæ est suis fucis & pigmentis innitens, &c. Denique hoc Constantini de sectariis ac sceleratis omnibus celebratur apopthegma. Pars corporis recidenda est, si remedium non admittat, sin contra, fouenda. Theodosius mutauit sententiam de adducendis per libertatem hæreticis, & non cogendis, primũ admonitus ab Ascholio Thessalonicensi episcopo Orientem variis sectis discerptum hactenus propter fauorem aut incuriam Principum. Ideo è Thessalonica vrbe legem contra hæreses constantinopolim absens misit, vt ex ea arce imperij promulgata constitutio indicari reliquis ciuitatibus facilius

Aurelius Victor. Pō. Lætus & Egnatius.

Sozom. lib. 7. cap. 4.

possſet. Significauit autem per eã velle, vt cuncti ſubditi eam religionem retinerent, quam vertex Apoſtolorum Petrus Romanis initio tradidiſſet, ac tum Damaſus Romanus epiſcopus & Petrus Alexãdrinus cuſtodirent. Deinde Amphilochij motus eſt æquitate ac ratione. Is ad Theodoſium acceſsit ſupplicans, vt Arrianorum cœtus ex vrbibus eiicerẽtur. Hãc petitionem imperator, quia nimis duram crederet, non admiſit. Tum ſapiẽtiſsimus Amphilochius ſiluit excogitata arte memorabili. Introgreſſus enim in regiam, conſpicatúſque aſtantem imperatori filium Archadiũ, qui imperator paulo ante fuerat deſignatus, ipſum quidẽ imperatorem de more ſalutauit nullo honore habito filio. Ibi imperator obliuione Amphilochij hoc factũ

Sozo. lib. 7. cap. 6. Nicepho. li. 12. cap. 9.

arbitratus, iubet illum ad filium suũ accedere & osculari illum. Cui Amphilochius respõdit, satis esse quod ipsi honorem habuisset. Quapropter indignatus imperator neglectionem filij insectationem sui interpretabatur. Tũ Amphilochius propositum facti sui declarauit, & cum clamore, O imperator, inquit, itáne fers grauiter neglectionem filij tui, támque vehementer succenses contumeliosis erga illum? Persuadeas quoque tibi omnipotentem deum odisse blasphematores vnigeniti filij sui, esséque eis infensum tanquam ingratis erga saluatorem & benefactorem suum. His intellectis Theodosius cum admiratione dictorum factorúmque, legem statim scribit, qua hæreticorũ cœtus prohiberentur. Tertio per experientiam post-

quam didicit bonitate Principũ hæreticos corrumpi, acrius eſt perſecutus. Nam cùm aggregaſſet Conſtantinopoli ſynodum, a qua Arriani & alij hæretici damnati erant de eccleſiis deturbandi, quaſi eos poſſet lenitate & æquitate ad fidem catholicam reuocare, anteſignanos ſectarum accerſiuit, ratus ſe adducturum in rectam ſententiam, ſi iterum opiniones dubiæ in publico Concilio per diſputationem diſcuterẽtur. Ea ſpe cum Nectario colloquitur de indicendo iterum concilio. Obtemperatum eſt, reipſa comperit Theodoſius ſectarios omnem æquam conditionem repudiare, ſe omnibus anteferre, tantum verbis diffluere. Offenſus his hominum intemperiis legem tulit, ne abhorrentes a catholica fide conuentus aliquos eccleſia-

Nicepho.li. 12.cap.15.

sticos agerent, nec de fide postea docere auderent, nec eligendi consecrandíque quempiam potestatem haberent. Sanxit prætérea, vt illi partim ex agris & vrbibus pellerentur, partim ęrarij fierent, neque quicquã cum reliquis ciuibus commune haberent. Alia insuper constituit suis locis disponenda. Gratianus illico pietatem suam manifestiorem reddidit. Nam cùm primitias imperij sui dicaret Deo, statim sublata libertate legem tulit, qua traderentur ædes sacræ communicatoribus Damasi Papæ, & Arriani pellerentur. Legis ęxecutionẽ duci Sapore tum temporis celeberrimo commisit, quam toto orbe terrarum publicauit. Narrat insuper Seuerus Sulpitius Idacium episcopum, edictum a Gratiano impetrasse ob vnum Pri-

Theodor.li. 5.cap.2.

ſcillianum,quo vniuerſi hæretici excedere non eccleſiis tantum, aut vrbibus,ſed extra omnes terras propelli iubebantur. Quo comperto Gnoſtici diffiſi rebus ſuis, non auſi iudicio contẽdere, ſponte ceſſerunt qui epiſcopi videbantur, cæteros metus diſperſit. Cum fratre Valentiniano & Theodoſio leges etiã aliquot extant a Gratiano in ſectas conditæ. Iouinianus imperator initio imperij Athanaſium accerſiuit,cuius conſilio vteretur in conſtituẽda religione, ſed pręmatura morte ĩterceptus eſt.Non dubium quin ſectas omnes proſcripſiſſet, ſi ardorem Athanaſij attendamus, qui a Conſtantino cogi non potuit,vt ferret Arrium in eccleſia,quanuis pœnitentiam ſimularet. Hæretici omnes imperatores in ſuis peccatis mortui ſunt, nemini

adempta licētia quam permiserant, sed ea morte quæ deceret hæresim, obierunt. Vnum Constantinum excipio, quem propter animi leuitatē & inconstantiam, dementarunt Arriani, ait Nazianzenus. Moriturum trium rerum pœnituit, mutatæ religionis, Galli occisi, Iuliani apostatæ pro successore relicti. Cui est otium historias legat, aut expectet locum, quo mores, fortunas, & eorum interitum fusius alias exponemus.

Vt scriptura interdicat licentiam Sectarum. Cap.

CAuet scriptura duobus in summa capitibus, ne cui liceat impune nouas sectas inferre. Interdicit ac punit durissimè, rationes explicat, & de periculis quæ per sectas

importantur, diligentiſsimè admonet. Lex nec vxori, nec liberis, nec germano fratri vt ignoſcatur, concedit: vetat abſcondi aut celari qui legē deſeruerit. Falſum prophetam etiam cum admirando prodigio ne quidē mutire ſine vltione ſuſtinuit: ſæpius concludit, auferte malum a vobis ipſis. Elias quaſi nouū cultum nō repellere, ſit admittere, & de fidē accepta dubitare, ſuos aſperius increpat, vſquequo claudicatis vtroq; pede, ſi dominus eſt deus, ſequimini illum. Si autē Baal, ſequimini illum. Reges hi commēdantur, non tātum qui non deflexerūt a recta maiorum via, ſed qui nemini aberranti ab ea pepercerint, & omnia quibus abutitur falſa religio, ſuſtulerint. His laudibus cumulātur Ezechias & Ioſias reges integerrimi & deo gratiſsimi.

Deuter. 13.

3. Reg. 18.

lib. 3. & 4. Reg.

Inter officia bene consulti principis hoc interserit Salomon, vt dissipet impios,& incuruet super eos fornicem. Quod dum obliuiscitur, ille infatuatus amoribus mulierum, & se & suum regnum iuit perditum. Laudantur non mediocriter Iosaphat, Ioas, Amasias, Azarias, Ioathan, aut de retenta lege, aut de repetita quam maiores violassent. Attamen vnum de singulis non tacetur, quod tribuebatur vitio, non abstulerũt, dicitur, excelsa sed adhuc populus immolabat, ac profanos ritus frequentabat. Hi propemodũ eam ob rem infelici morte occubuerunt. Neque profecto clemẽtius hac in parte mihi videtur Euangelium. Nam de genere supplicij quo expietur impietas, hic non loquor. *Est* & *Non*, alienum est ab Euangelio. Nefas Chri- 2.Cor.1.

ſtum diuidere vt alius ſit Pauli, alius
1. Corin. 1. *Ad Gal. 1.* Cephæ, alius Apollo. Patienter ferri
prohibet Angelũ de cœlo, ſi annun
ciauerit præter id quod eſt nobis tra
ditum. Habet in Æthnicis & publi-
canis, a quorum conſortio abſtine-
Matth. 18. bant Iudæi, qui Eccleſiã non audie-
rit, multo verò magis qui contẽnit,
negat, & affligit. Paulus rogando im
perat, vt obſeruemus ac fugiamus
Ad Rom. 16. eos qui ferunt offenſiones & offen-
dicula preter doctrinam quam didi
cimus. Paulus qui ad omnium infan
Ad Gal. 2 tiam ſe demiſit, ne quidẽ ad horam
poteſt falſis fratribus quicquam de
1. Ad Timoth. 1. religione cedere. Alexãdrum & Hy
menæum tradidit ſatanæ. Hæreti-
Ad Tit. 3. cum hominem poſt vnam aut alte-
ram admonitionem iubet etiam ab
Epiſcopo euitari. Optat præcidi qui
Ad Gal. 5. perturbarẽt noua doctrina Eccleſiã.

D. Iohannes a Christo dilectus & Christianorum amantissimus, nihilo mitior D. Paulo est. Hæretico iura naturę & humanitatis ac Christianismi omnino, vt videtur, denegat, non Aue ei dixeritis, inquit. Quasi interdicat aqua & igne, adiũgit: non recipiatis in domum vestram. Ad exemplum regum in Israel, ita afflatus spiritu laudat Pergami Ecclesiã, vt tamẽ hũc quasi næuum notet quod habeat quosdam tenẽtes doctrinam Nicolaitarũ, quibus nisi resistat & de patientia pœnitentiam agat, futurum periculum denuntiat. Ecclesiæ Thiatyræ ita minitatur, quia permittat mulierẽ Iezabet, quę se dicit prophetem, docere & seducere seruos Christi, fornicari & manducare de Idolothytis. Ecclesiæ Laodicensi quasi iracũdior prę fatur. Hæc dicit,

2. Iohan.

Apocal. 3.

Amen, Testis fidelis & verus qui est principium creaturæ dei. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore, quia dicis quod diues sum, & locupletatus & nullius egeo. Ista fere sunt è scripturis argumētorum seminaria, quibus Babylō & linguarum ac sectarum confusio a dei ecclesia & populo repellitur.

Breue compendium causarum quibus sectarum licentia a scriptura damnatur. Cap. XIII.

SEX mihi videntur ex scriptura colligi, quibus merito religionis libertas improbatur. Imprimis indulgentia, nec ægrotos a morbo

nec peruersos ab hæresi curat. Breuis est enim D. Pauli sententia, proficiunt in peius errantes, in errorem mittentes. Deinde errandi inueterascit consuetudo, & phreneticus sua abutitur insania. Eam ob rem S. August. dictam a se de licẽtia hæreseon opinionem reiecit. Secundo mali natura fert, vt hæretici facile alios suo veneno imbuant. Est enim hæresis fermentum, vt totam massam corrumpat: cancer est: vt serpat, vulpes vt irrepat: insidietur, & vineã depascat: pestis est, vt inficiat: lup⁹ vt gregi non parcat. Fit etiam nescio quo rerum humanarum infortunio, vt herbæ nocẽtes cito crescant, & breui segetem quantumuis felicem opprimant. Postremo in malis gignendis ferax est, & facũdum humanum ingenium, pronum ad malum ab or

2. ad Tim. 3.

Epist. 50.

tu suo, & quæ pessima sunt, hærent tenacius. Tertiò, religionẽ liberam facere cuiusque voluntati ac libidini, quid aliud est, quàm ex domo dei speluncam latronum extruere, omni transeunti prostituere, & maculis ac vomicis Ecclesiã deturpare, quã vt sine ruga sit & macula, debemus excolere? Quid aliud quã Babilonẽ ædificare, vnde alius alium non intelligat: scismata cumulare, vt alius sit Pauli, alius Cephæ, alius Apollo? Ita Christus diuiditur, ita tunica inconsutilis discerpitur, ita Euangeliũ abnegatur, cum *Est*, & *Non* admittuntur. Hoc est miscere Christo belial, luci tenebras, cauponari dei verbum, miscere aquam vino, Postelli Heliam pandocheum aut Mahumetem agere. Corrupta verò doctrina & ita quidẽ corrupta, vt sub dei spe-

cie diabolus lateat, quid supereſt niſi vt plurimi pro deo diabolum amplectantur? Ex hac licentia colendi quod liberet aut ita vt placeret, prodiit vt apud Ægyptios alius veneraretur felem, alius canem, alius crocodilum, aut aliud animi ſui portentum. Ex eadem apud nos iam propagatur Docetarum ſeu Opinatorum perfidia, qui fidem Chriſtianam ſcribūt opinionem. Ex eadem prodeunt qui ſectarum perteſi, omnem religionẽ abiiciunt, & quorum omnem eſcam abominata anima dixit non eſt deus. Is demum finis liberę religionis expectãdus eſt, vt dum plures fides ſcribuntur, defendũtur, euulgantur, nulla fides relinquatur, quemadmodũ apud Hilarium eſt. Quartum, quod ad ſectas conſequitur & religionis deprauationem, i-

Athenagoras in legatione pro Christianis *Tertulli. Apolog. cap. 23.* *Euſeb. lib. 6. cap. 12.* *Pſal. 106.*

ra dei eſt, quæ grauiſsimè ſolet inde inflămari. Spiritus Pergamẽſi eccleſiæ ſe infenſum teſtatur, quòd Nicolaitas quoſdam haberet: & Thyatirenſi, quòd a Ieſabel ſineret ſeruos dei ſeduci. Quoniã ſanctus eſt Deus noſter, a nobis recedit, ſi habeamus cum vlla impietate commercium. quoniam ſui cultus zelotes nominatur, & illatæ iniuriæ vindex fortiſsimus: ob alienam religionem excandeſcit in populum, & ſæuit vt ſcri-

Ioſue 24. ptura attingit. Non poteritis ſeruire domino & diis alienis. Deus enim ſanctus & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris, atque peccatis. In Dathã, Chore, & Abirõ docuit quãtum vlcíſcatur conſortiũ cũ

Numeror. cap. 16. ſciſmaticis & hęreticis. Recedite (ait populo) a tabernaculis hominũ impiorum, & nolite tãgere quæ ad eos

pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. D. Paulus cōſuetudinem cum infidelibus diſſuadet, ne deſeramur a Deo. Exite de medio eorum dicit dominus, & ſeparamini, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias dicit dominus omnipotens. Quintum, quod afferunt ſectæ, perpetua eſt ſeditio. Non enim poteſt eſſe participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut ſocietas luci ad tenebras, aut conuētio Chriſti ad Belial, aut pars fideli, cum infideli. Abominantur iuſti virum impium, & abominantur impij eos qui in recta ſunt via: ſicut communicabit lupus agno, ſic peccator iuſto. Ideo Paulus ad componendas Corinthiorum ſeditiones, religionem antea ſtudet componere. Obſecro

2. Ad Corinth. 6.

2. Ad Corinth. 6.

Prouer. 29.

Eccleſ. 13.

vos fratres per nomen domini no-
1.*Ad Cor.*1. ſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſciſmata. Deinde ab orbe cōdito, qui ſecūdū carnē fuit & alienus a Deo, ſtruxit ſemper inſidias piis: & Iſmael afflixit legitimum hæredem quandiu in vnis edibus fuit. Poſtremo nō eſt imminuta manus domini, vt quoties extruitur hominū ſuperborum opera Babilon ad dei contemptionem, linguas diuidat & homines inter ſe committat. Eſaias propter falſos prophetas in populo, de quibus
*Eſa.*9. loquebatur, a deo fieri ait, vt vnuſquiſque carnem brachij ſui voret, Manaſſes, Ephraim: & Ephraim Manaſſen, & ipſi contra Iudam. Extremum damnum quod a ſectis imminet, Regnorū eſt deuaſtatio & tranſlatio. Noua religio nouum deum,

aut cum eiusdẽ nouo cultu, nouum regnum, aut regem importat. Extat apud Dionem Mecenatis cõsilium, quo adhortatur Augustũ, vt puniat *lib. 52.* atque coerceat eos qui peregrinum aliquid, aut nouum in religione tentant, non solum pietatis causa, sed Reip. multo magis. Nam alioqui nouæ religionis prætextu multos res nouas moliri, & illicita collegia coire, coniurationésque & seditiones nasci. Nihil morarer hominis idololatrę sententiã, sed nõ inanis fuit dei cõminatio in Salomonẽ, ob turbatã & a se desertã religionẽ, Quia habuisti hoc apud te (dicitur) & nõ custodisti pactũ meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scin- *3. Reg. 11.* dam regnum tuũ, & dabo illud seruo tuo. Nõ frustra Iudæorum ceruicibus externum iugum est a prophe

tis denunciatũ, & a Deo impoſitũ, quoties ab antiqua & aſſueta religione deſciuerunt. Non fruſtra quaſi connexa & colligata a Daniele con-
Daniel.3. iunguntur: Non eſt in tempore hoc Princeps, & propheta, & dux, neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque locus primitiarum coram te.

EX IVSTINIANI PATRIcij hiſtoria Veneta. Cap. XIIII.

ELias patriarcha Aquilenſis cum ſedem commutaret Gradẽſi, ita orationẽ habuit de conditione catholicorũ habitãtium cum Arrianis hæreticis. Diutius nos (ait) fratres, ſpes fruſtrata eſt hac vna expectatione cẽtum & amplius annos, id

est,ab Attyla in hunc vsq; diẽ,melio rem Ecclesiæ statum expectãtes. Deterior in dies est factus:sed alium finge minus amarum fore. Quænam, obsecro, fideli satis grata accidere potest vita inter infideles? Aut quã ego deteriorem molestiorémq; existimem,quàm inter hæreticos?Cum gentili homine nunquam ferè accidit contentio. At verò nulla datur pax cum hæreticis:vel propter quotidianos Ecclesiarũ fructus, qui ab eodem Christiano nomine vtrisqúe proueniunt: vel quia ferre non possunt in eadem asseueranda veritate superari.Elati sunt & superbi:si quãdo admonitionibus, exemplis, sanctorum dictis,cum his agitur, mox ad iurgia prorumpunt. Pati non possunt vinci sese ratione, & à catholicis compelli ad confessionem veri-

tatis. Si vota veſtra fratres accedunt, ſententia mea hæc eſt: vt in hunc locum Patriarchalis trãsferatur ſedes: híc pacatam, híc Chriſtiana religione dignam agere vitam licebit: ſi nõ tam lautam & opulentã, at pace plenam atque concordia. Pacem domi

Ioan.14. nus noſter generi ſuo quaſi hæreditariam legauit, pax ſectanda nobis: ipſi procul ab eius oculis agemus, & à noſtris ille. Non dubito Romanum Pontificem, & Imperatorem, cùm intelligent, quibus in calamitatibus hæc verſetur Eccleſia, facilè hoc noſtrum votum comprobaturos. Aſſenſere omnes.

Hæc ille.

*

FINIS.

❧ METHODVS CONTRA *Sectas, quam sequuti sunt Catholici principes. Præfatio.*

POteramus Occidentaliũ imperatorum, & maximè Christianissimorum nostrorũ regum sanctiones contra sectas adiungere, sed diabolorum non ignoramus astucias: qui quoniam regna student perturbare & transferre, in eúmque vsum religionem peruertere, leges, quibus occidens ac christianissima Francorum corona aditum intercluserunt perturbatoribus imperiorum & religionis abrogant, nouas quærunt, postulant, & obtrudũt. Saltem si quod restat pietatis apud nos vestigium, hos sequamur imperatores, qui consilio quatuor primarum Synodorũ, quas curarunt cogi & celebrari, &

quas nostri temporis sectæ vidētur admirari & colere, de hæreticis statuerunt. Horum potissimum constitutiones hoc libello complectimur. Neque verò aliquis hanc methodū ita accipiat, quasi ea sola sufficiat, ad delendas sectas. Deus omnium hypochrisi illusus & peccatis offensus, imprimis placandus est: alioqui irato deo frustra omnium conatus ad constituendam religionem & rempublicam. Deinde restituenda ecclesiæ synceritas & disciplina, in qua ea demum summa calamitas est, ait Nazianzenus, cùm pastores lupi fiunt. Ordines populi ad officium pietatis reuocandi, vt ambulemus omnes in dei lege, sicut castrorum acies ordinata. Hîc tantū quæ sint partes principis ex veteribus exhibemus. Alia per conciliū, si futurū est, speramus.

Quantum intersit principum religionem catholicam tueri. *Cap. I.*

IMprimis pronũtiarũt Christiani imperatores quãtũ interesset Reipublicę, atq; imperij, fidẽ catholicã tueri, & populũ dissectũ conciliare. Sperãt ex religionis catholicæ cõcordia, ac tutela, sibi diuinit⁹ dari augustius imperiũ, ac diuturni⁹, subditorũ pacẽ & quietẽ, ẽ cœlo salubritatẽ, terræ vbertatẽ, vt ex hæresibus expectanda cõtraria. Ipsos audiamus. Cõstãtinus Alexãdro & Arrio scripsit, scio si cõmunẽ omnib⁹ Dei seruis cõsensionem cõstituero, publicarũ etiã rerũ negotia, vna cũ piis omniũ mẽtibus cõcordẽ relatura mutationẽ. Theodosi⁹ maior filiis Honorio & Archadio moriẽs, nihil aliud mandauit, quàm vt verã pietatẽ inte

Euseb. lib. 2. de vita Constan.

Niceph. li. 13. cap. 1.

gram seruarent,per quam eos asseue rauit pacem habituros, & bella sopi turos,tropheáque excitaturos, & victoriam a Deo consecuturos esse. Ista per experimenta didicerat, cùm in se, tum in Valentiniano minore suasu matris in hæresim lapso, & ob eam rem miserrimo, vt ei rescripsit Theodosius. Nõ mirandũ ait, si tan tũ viriũ Maximo Tyrãno suppetat, & te in fugam vertat.Ille enim rectæ fidei opinioni subsidium fert.Tu verò dum rectam sententiã oppugnas, contra Deum bellum moues.Tu cæ lesti armatura nudatus fugæ te com misisti. Tyrannus autem recta opinione munitus, superior est,& herũ suũ vincit,prorsus enim verę pietati, author & legislator ei[9] adesse solet. Valentinianus frater & Theodosius minor Dioscoro episcopo. Cunctis

Nicepho.li. 12.cap.21.

In actis Concil. Calcedo.

constitit manifestũ, quia nostrę Reipublicæ status & omnia humana, diuina pietate moderantur atque formantur: deo enim propitio cõstituto, prosperè & secundum vota nostra gubernari res & proficere solẽt.

Iidem Florentio.P. F.P.inter cæteras sollicitudines, quas amor publicus peruigili nobis cogitatione indixit,præcipuam imperatoriæ maiestatis curam esse perspicimus verę religionis indaginẽ, cuius si cultum tenere potueris, iter prosperitatis humanis aperimus inceptis. Quod vsu longæ ætatis experti,piæ mentis arbitrio ad posteros vsque perennitatis iure fundare decreuimus cerемonia sanctitatis.

Nouella de Iudæis & hæreticis.

Iidem Albino P.F.P.ij.Manicheorum peruersitas notitiam nostram latere nõ potuit, quibus tutum non

Nouella de Manicheis.

est negligere tam detestandam diuinitatis iniuriã, & impunitum relinquere scelus, quo non solum corpora deceptorum, sed etiam animæ inexpiabiliter polluuntur. Ita concludit Nouellam cõtra hæreticos Iustinianus: Hæc nos pro communi sacrosanctarum ecclesiarum pace sancimus, hæc decernimus sanctorum patrum decreta secuti; vt omnes de cætero sacerdotes sub tranquillitate & quiete permaneant; quibus ipsis in pace conseruatis, reliqua etiam Reip. portio perglíscet, pace desuper vigescente, quam omnibus magnus ille deus & seruator noster Iesus Christus, vnus de trinitate vnigenitum dei verbũ, tã prædicat quàm suppeditat his qui verè & ex animo glorificare ipsum, & adorare dignãtur. Eandem amplectitur sentẽtiam

Nou. 42.

iustinus post Iustinianũ imperator.
In nomine domini nostri Iesu Christi Dei nostri. Imp. Cęs. Fla. Iustinus, &c. Pacem meam do vobis, inquit dominus Christus verus deus noster, pacem meam relinquo vobis. Idem promulgat hominibus omnibus. Id verò aliud non est quàm vt in eum credẽtes, in vnam & eãdem ecclesiam conueniant consentiẽtes quidem animis in recta Christianorum sententia, auersantes autem eos qui contraria dicunt & opinantur. Primaria namque salus hominibus omnibus constituta est ipsa rectæ fidei confessio, &c.

Nicepho. li. 17. cap. 35.

Imperator Cæsar, Zeno, Pius, &c. Alexandrinis, & qui per Ægiptum, Lybiam, & Pentapolim sunt religiosissimis episcopis & clericis & Monachis & laicis. Quum imperij no-

Nicepho. li. 16. cap. 12.

ſtri initium, & cõſeruationem, tum autem opes, atque armaturam inexpugnabilem, perſuaſum habeamus eſſe ſolam veram & rectam fidem, quã diuina inſpiratione Nicææ trecenti decem & octo ſancti patres cõgregati promulgauerunt, &c. Diu noctúque prædicationibus, ſtudiis, legibúſque noſtris omnibus hoc agimus, vt per eam vbique locorum ſancta dei catholica & Apoſtolica eccleſia incrementa capiat, quæ incorruptibilis eſt & immortalis ſceptrorum noſtrorũ mater, & pij populi noſtri in pace & religionis diuinæ concordia perſiſtentes, acceptabiles pro imperio noſtro preces vna cum dei amantiſsimis epiſcopis & piiſsimis clericis & Archimandritis & Monachis fundant. Quum enim magn⁹ deus & ſaluator noſter Chri-

stus Iesus, qui ex sancta virgine, & dei genitrice Maria incarnatus, & natus est, glorificationem & sacrum cultum nostrum consentientem laudauerit, benignéque susceperit, tum gentes hostiles conterētur atque extinguentur, & omnes colla sua imperio secundum deum nostro submittent, pax etiam & quæ ex pace proueniūt bona, cæli salubritas, frugum vbertas, & alia quæ hominibus commoda sunt, liberaliter suppeditabūt. Itaque cùm fides irreprehensibilis & vos & imperium Romanum sic conseruet, preces nobis ab Archimādritis, & Eremitis, aliísque venerandis viris oblatæ sunt, qui cum lachrimis nobis supplicarūt, vt vnionem in sanctissimis ecclesiis fieri, & membra membris coniungi, quę honestatis, pietatísq; inimicus ab annis plu-

rimis segregare est conatus, curaremus. Qui quidem inimicus bene nouit si integro & coniuncto corpori bellum inferat, victum se iri. Qui etiam efficit vt infinitæ gentes & generationes, quas tot annorum tempora ex hac vita subduxerũt, partim absque lauachri regeneratione obierint, partim sine diuinæ communionis perceptione, ad ineuitabilem illam omnium migrationem transierint, & vt cædes innumerabiles patratæ sint, ita vt sanguinis vnda non solum terra, verumetiam aer ipse cõtaminatus sit atque infectus. Quæ omnia quis est qui nõ in melius mutari exoptet?

Ideo ante omnia negotia religionem pacare studuerunt, & de turbata se angi ostenderunt.

Cap. II.

CONstātinus epistola ad Alexandrum & Arrium. Reddite mihi serenos dies ac noctes a curis liberas, & vt mihi puræ lucis iucunditas ac vitæ posthac tranquillæ lætitia seruetur. Alioqui necesse erit ingemiscere, ac lachrimis per omnia suffundi, ac ne æuum quidem vitæ huius placidè transigere. Quum enim populi Dei, hoc est cōserui mei tam iniqua & noxia inter se contentione separentur, quomodo fieri potest, vt animi deinceps sentētia consistam? vt autem mœstitiæ huius vehemētiam sentiatis, quum ad Nicomediorum ciuitatem nuper appropinquassem, cōfestim animo ad Orientem properabam. Accelerāti mihi ad vos, ac pro maiori parte vobis *Socrates li. 10. cap. 7.*

cum existenti, literarum istarum rumor animi mei cogitationē denuo cohibuit, ne videlicet ipsis oculis videre cogar, quæ ne auribus quidem admitti posse puto. Aperite mihi posthac per mutuum vestrum consensum viam Orientis, quam intestinis vestris contentionibus occlusistis, & cōcedite, vt & per vos, & reliquos populos omnes propere cum gaudio videam, ac debitum deo pro communi omnium concordia & libertatę gratiarum actionem cum celebribus verborum symbolis reddamus.

Ruffinus li. 2. histor. cap. 1. Socrates lib. 3. cap. 22.

Digna vox Iouiniani, cùm occiso Iuliano raperetur a militibus ad imperium, inclamauit. Ego imperare nec volo, nec possum nisi Christianis.

Gratianus primitias imperij sui

obtulit deo. Legem tulit initio qua expulsi pastores suis quique gregibus restituerentur, ac traderentur ædes sacræ catholicis communicatoribus Damasi, & precones Arrianæ blasphemię quasi feras bestias, sacris ædibus pellerentur. Huius legis executionem toto orbe terrarum commisit Saporæ duci. *Theodor. li. 5. cap. 2.*

Theodosius ante alia, imperio suscepto, ecclesiasticæ concordiæ curam complexus est. A licentia exorsus quasi vulpeculæ mansuetudine mitescerent, mutauit consilium, & grauissimas leges edidit. De aliis superiori capite. *Theodor. li. 5. cap. 6.*

Honorius, Arcadius, quia persuasum habebant patri a vera pietate victorias contra Tyrannos obuenisse, quęcũque decessores eorum pij imperatores pro ecclesiis statuerant & *Nicepho. li. 13. cap. 1.*

ipſi confirmarunt, eaq; firmirer ſeruarunt.

Nicepho.li. 15.cap.1. Martianus imprimis ſtuduit, vt vnus & communis ab omnibus, hæreſibus ſublatis de medio, deo cultus offerretur, & eccleſia per cõiunctionem vnita ſententiam & religionem vnam coleret. Rationem explicat in ſacro ſuo edicto contra hæreſes poſt Calcedo. ſynodum. Cuſtodiendæ orthodoxæ fidei cura tanto a ſerenitate mea adhiberi impenſior debet, quanto res humanas diuinæ præcedunt.

Nicepho.li. 16.cap.9. Zeno ſimul atque in imperium reſtitutus eſt, per ſcriptam cõſtitutionem, quamprimum quicquid a tyrãno Baſiliſco per circulares literas contra fidem nouatum fuerat, abrogauit.

Iuſtinus Iuſtiniani ſucceſſor, pri-

mam ſcripto iuſsionem promulgauit, qua omnibus vbique epiſcopis, & ſacerdotibus exilium remiſit, in quod pro recta religione acti fuerant, & religionem catholicam more ſolito colere, neq; quicquã poſtea de fide nouare præcepit. Ita fere de ſingulis qui fidei catholicæ addicti fuerunt, legitur.

Quos declarent hæreticos. *Cap. III.*

VT omnis aſſueta quoties oriuntur ſectę, tolleretur occaſio litigandi ac rixandi temere, quis ſit hęreticus, definierunt principes a maioribus ſuis edocti, quos notarẽt de hæreſi in Republica & ciuitate Chriſtiana. Eo recidunt, vt ſtatuant inter hæreticos communiter, qui

discrepant a Romano pontifice & episcopis qui amicitiam & pacem cum Romano sanctè colunt. Deinde qui concilia ab orbe Christiano recepta repudiant, aut legitimi concilij decreto non parent & acquiescunt. Tertio qui desciscunt a communi consensu & vsu Christianorũ. Postremo qui laborantes suspitione eam a se admoniti non curant remouere. Secundo concilio generali Constãtinopoli habito, ea fere descriptio comprobata est, cano. 6. Hęreticos nominamus cùm eos qui olim ab Ecclesia proscripti sunt. Tum hos quoq; qui postea a nobis anathematisati sunt. Deinde eos qui sanę fidei confessionem simulant, se ab episcopis iustis separant, & contrarias congregationes faciunt. Antea retulimus ab Aureliano contra

Paulum

Paulũ Samosatenũ pronũciari legitimũ episcopũ & Christianũ, ad quos scriberẽt Romæ & Italiæ Antistites. Testãtur historię Theodosiũ & Gratianum prouinciis denũciasse, vt in ea fide quæque acquiesceret, quam deprędicaret Damasus. Ea lex in Co. Theodosiano ita commemoratur. Imppp. Grat. & Valentin. & Theodosi. ad populum vrbis Constantin. Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuinũ Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificẽ Damasum sequi claret, & Petrũ Alexandriæ episcopum virum Apostolicæ sanctitatis, hoc est, vt secundum Apostolicam disciplinã, euangelicámque doctrinã patris, & filij,

Nicepho. li. 12 cap. 3. Sozo. lib. 7. cap. 4.

Leg. 2. tit. 1. lib. 16. & in Cod. de hæreticis.

& spiritus sancti vnam deitatem sub pari maiestate, & sub pari trinitate credamus. Hanc legem sequentes Christianorum catholicorum nomen iubemus amplecti, reliquos verò dementes vesanósque iudicãtes, hęretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primum vindicta, post etiam motus animi nostri quã ex celesti arbitrio sumpseram⁹, vltione plectendos. Eorumdem imperatorum edictum est, vt de hæresi suspecti habeantur, qui probatis & spectatis episcopis non cõsentiunt & communicant. Imppp. Gratia. Valentin. & Theodosi. ad Auxonium Proconsulem Asiæ. Episcopis tradi omnes ecclesias mox iubemus, quos constabit communione Nectarij Episcopi Constantinopolitanæ ecclesiæ, Timothei, necnon intra Ægiptum A-

leg. 3. tit. 1. Cod. Theodos. lib. 16.

lexandriæ vrbis epiſcopos eſſe ſocia
tos,quos etiam in Orientis partibus
Pelagio epiſcopo Laodicẽſi, & Dio
doro epiſcopo Tarſenſi in Aſia, nec
non Proconſulari atque Aſiana dio
ceſi Amphilocio epiſcopo Iconẽſi,
& Optimo epiſcopo Antiocheno
in pontica dioceſi, Helladio epiſco-
po Ceſarienſi,& Otreio, Meliteno,
& Gregorio epiſcopo Nyſſeno, Te
rennio epiſcopo ſcythię,Marmario
epiſcopo Marcianopo,communica
rė conſtiterit,hos ad obtinendas ca-
tholicas eccleſias, ex communione
& conſortio probabilium ſacerdo-
tum oportebit admitti. Omnes au-
tem qui ab eorum quos commemo
ratio ſpecialis expreſsit,fide commu
nionis diſſentiunt, vt manifeſtos hæ
reticos ab eccleſiis expelli,neque his
penitus obtinendarum eccleſiarum

pontificium facultatémque permitti, vt veræ ac Nicenæ fidei ſacerdotia caſta permaneāt:nec poſt euidentem præcepti noſtri formam malignæ locus detur aſtutiæ. Theodoſius minor ac tertius Valentinianus Papæ eandem tribuunt authoritatē.

Leg. 53. tit. 4. Cod. Theodoſ. vt ſupra.

Impp. Theodo. & Valentinia. Cæſa. ad fauſtum. P.V. Circa hæreticos & ſciſmaticos exercēda maximè commonitio eſt, qui prauis ſuaſionibus a Venerab. Papæ ſeſe communione ſuſpendunt, quorum ſciſmate plebs etiam reliqua vitiatur. Idem Theodoſ. dixit defenſorum curialium, omniúmque officiorum ſpecula cuſtodiat, ne quis intra aliquam ciuitatem, qui ab eccleſiaſtico catholico ſacerdote diſsidet, inlicitæ cohibitionis habeat facultatem. Hoc ſolenne fuit imperatoribus, & aſſuetum,

Leg. 35. ibi.

vt dimisso, ac soluto Concilio immorigeros & damnatos proscriberent ipsi, ac damnarent. Nihil necesse Concilia decurrere, hoc Iustinianus ad sua tempora vsitatum agnoscit. Non insolitam Imperatoriæ maiestati rem agentes ad præsentem legem peruenimus. Quotiescunque enim sacerdotum sentẽtiæ aliquos, qui sacerdotio indigni essent, sacerdotalibus deturbarũt sedibus, (quale sit Nestorium, Euticheten, Arriũ, Macedonium, Eunomium, & alios non inferiore quàm illi malitia) toties etiam ad sacerdotum authoritatem Imperatoris consensus accessit, vt diuina cum humanis coeuntia, rectis sententiis symphoniã quandam & vnam consonantiam inducerent. Notam insuper inusserũt Principes hominibus, qui antiquis conciliis

Omnes dãnatia Conciliis.

Nouella 42.

Qui placita Conciliorum despiciunt. oculos configerent & negligerent. Ita Martianus. Quicunque in hac sacra vrbe, vel in Alexādrina ciuitate, vel in omni Ægiptiaca dioceſi, di-

Cod. de hæretic. leg. 8. uerſiſque aliis prouīciis Euthicetis profanam peruerſitatem ſequūtur, & ita non credūt vt 318. ſancti patres tradiderūt catholicam fidem in Nicena ciuitate fundantes, cētumquoque & quinquaginta alij venerabiles epiſcopi, qui in vrbe Conſtant. poſtea conuenerunt, & ſic Athanaſius & Theophilus, & Cirillus ſanctæ recordationis epiſcopi Alexandrinæ ciuitatis credebāt, quos etiam Epheſina ſynodus, cui beatæ memoriæ Cirillus pręfuit, in qua Neſtorij error expulſus eſt, in vniuerſis ſecuta eſt, quos & venerabilis nuper Calcedo. ſynodus eſt ſecuta, prioribus conciliis ſacerdotum & omni parte

prorſus conſentiens, nihilque adimens ſacroſancto ſymbolo, neque adiiciēs, ſed Eutychetis funeſta dogmata condemnans, &c. Ea de cauſa damnat Anthimum Iuſtinianus. Simulauit (inquit) quidē ſancta ſe quatuor Concilia ſequi, &c. ſed re ipſa illorum dogmata non conſequitur, neque noſtram benignitatē, & ſubmiſsionem quam pro eius ſalute ſuſcepimus, neque volens renuntiare tam impiorum dogmatum authoribus reiectis a ſanctis patribus in ſynodis, ſed ratus in vnum & eundem authoritatis gradum vtroſque tam condēnatos, quàm qui condemnarint, collocandos. Semel enim peregrinis a ſacroſancta eccleſia cogitationibus mancipatus, & a rectis dogmatibus alienus fact⁹, merito ad eorum rectitudinē regredi non valuit. *Nouell. 42*

Hæretici cō uicti vel cō fessi vel agniti ex cō uersatione. Leg.33.tit. 4.cod. Theod.lib. 16.

Impp.Honor.& Theodoſ. Curtio. P.P.Pœna lege propoſita veluti conuictos tenere eos debebit, qui Donatiſtas ſe cōfeſsi fuerint, vel catholicorum cōmunionem refugerint ſcęuæ religionis obtentu,quamuis Chriſtianos eſſe ſe ſimulent.

Leg.18. Cod. theodo. vt ſup.

Imppp Theodo.Valentin.& Gratia Heſper.Præfe.Præto.Hæreticorum vocabulo continentur, & latis aduerſus eos ſanctionibus ſuccūbere debēt,qui vel pro leui argumēto a iudicio catholicæ religionis, vel tramite detecti fuerint deuiare. Ideoq; experiētia tua Eureſium hæreticum nec in numero ſanctiſsimorum Antiſtitum habendum eſſe cognoſcat.

Leg.10. Co.de hæreticis.

Poſtremo Iuſtinianus ſanxit.Qui inuenti fuerint ſola ſuſpitione notabiles(niſi ad mandatum eccleſię,iuxta conſiderationem ſuſpitionis,quali-

tatémque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint) tanquam infames & banniti ab omnibus habeãtur, ita quod si sic per annum permanserint, ex tunc omnes tanquam hęreticos condemnamus.

Inter grauissima crimina hæresin collocarunt. Cap. IIII.

SEV Theodosius, seu liberi eius Archadius & Honorius, publicum crimen hæresim pronũtiãt, quia quod in religione diuina committitur, in omnium fertur iniuriã. Ita Iustinianus infamia & pœna lęsę maiestatis percellit hæreticos, quia longe grauius sit, æternam quã temporalem offendere maiestatem.

Leg. 30. Cod. Theodos. vt sup.

Leg. 10. Co. de hæret.

Quam inierint rationem ad hæreses comprimendas. *Cap. V.*

PRincipum catholicorum, quibus successerunt, religionem, & decreta in hæreticos confirmarũt: nouis legibus sustulerũt, si quid aut per malitiam, aut per imprudentiam sectis fuerat indultũ: Iam damnatas opiniones proscripserunt: ad dubias decidendas aduocari concilia curarũt, in quibus vna cum recta fide de moribus Christianorum, ecclesiasticorũ maxime canones conditi sunt, vt eadem opera religio suis partibus fulciretur & restitueretur fide ac vitæ sanctitate. Postremo variis modis in peruicaces animaduerterunt, donec deficerẽt aut ad ecclesiam reuersi, aut è medio populi repulsi. Occidẽtale imperium immune ab Arrianis perdurauit, propter

ea quod, ait Nicephorus, eam partẽ Valentinianus administraret, qui nihil prorsus siue meli⁹, siue deterius sibi de rebus ecclesię statuẽdum ducebat. Idem recitat, vt attigimus cap. de his quæ consequũtur ad hęreses, nihil in Occidente nouatũ ab Arrianis, quandiu imperatores qui ibi degebãt, ne latum quidẽ vnguẽ a maiorũ pietate deflexerunt. Archadius leges patris sui multis stabiliuit, & ratas esse iussit. Omnes pœnas, inquit, cũcta supplicia, quę sanctionibus diuę recordationis genitoris nostri aduersum hęreticorum sunt pertinacẽ spiritũ cõstituta, nostro etiã decreto separãtes decernimus. Ab Honorio & filio Theodosio grauissimè sancitur. Cassatis, quæ pragmatici vel adnotatione manus nostræ potuerint impetrari, & manẽtibus his, quę etiã

Niceph. li. 11. cap. 30.

Leg. 15. Co. Theodos. vt supra.

Leg. 42. ibi.

dudũ ſuper hoc definita ſunt, & veterum Principũ ſanctione obſeruata, &c. Poſtea ſolus Theodoſius eadem præſcribit. De hæreticis omni-
Leg. 51. ibi bus, (quorũ & errorem execramur & nomen) hoc eſt de Eunomianis, Arrianis, Macedonianis, cæteríſque omnibus quorũ ſectas piiſsimæ ſanctioni tędet inſerere, quibus cunctis diuerſa ſunt nomina, ſed vna perfidia, illa præcipimus debere ſeruari, quæ diui auus & pater noſtræ clemẽtiæ conſtituerũt. Abrogarunt licentiam & priuilegia a ſe, & aliis conceſſa hæreticorum prauitati Conſtantinus, Theodoſius, atque alij boni, de quibus ſcripſimus. Abrogant & traducunt Archadius & Honorius
Leg. 27. ibi Donatiſtis permiſſam a Iuliano libertatem. Reſcriptum quod Donatiſtæ a Iuliano tunc Principe impe-

traſſe dicuntur, propoſito program mate celeberrimis in locis volumus anteferri, & geſta quibus eſt huiuſcemodi allegatio inſerta, ſubnecti, quo,omnibus innoteſcat & catholicæ confidentiæ ſtabilita conſtantia, & Donatiſtarum deſperatio fucata perfidia.Theodoſius minor irritum declarat, ſi quid a ſe eſſet pro hæreticis impetratum.Si quis, ait, cõtra ea quæ multipliciter pro ſalute communi,hoc eſt pro vtilitatibus catholicæ ſacroſanctæ eccleſiæ aduerſus hæreticos, & diuerſi dogmatis ſectatores conſtituta ſunt, etiam cum adnotationis noſtræ beneficio venire tentauerit, careat impetratis. Conſtantinus ante ſuam ætatem damnatos a Chriſtianis Manicheos, Photinianos, & alios nullo adhibito concilio abigit,ita Gratianus, ita tertio

Leg.37.ibi

Euſeb.li.3. de vita Cõſtantini. lib.12.Nicepho.cap.1.

Pau.Diac. lib.16. imperij ſui anno Iuſtinianus publico edicto tres menſes ad reſipiſcendum ſectis omnibus, quæ per licentiam efferatè graſſabãtur, definit, alioqui ſuppliciũ proponit. Iuſtinus *Nicepho.li. 17.cap.35.* deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtit. Parta pace eccleſiæ Arrius turbas inauditas de diuinitate filij mouit. Cõſtantinus nec monẽdo, nec rogando exorientem flammam potuit reſtinguere. Fuit neceſſe vt de quæſtione noua, quæ iam vbique locorum ac gentium agitabatur, ſuſciperetur cognitio. Trecenti decem & octo viri epiſcopi ex vniuerſo orbe Niceam iuſſu ac ſumptu imperatoris aduecti ſunt, Anno Chriſti 333. Arrium cum dogmate eccleſia expulerunt. Quæ ad diſciplinam eccleſiæ pertinerent, conſtituerunt.

Nicepho.li. 11.cap.30. Valentinianus maior, cum quæ-

stione mota de spiritu sancto ingẽs contendendi studium increbuisset, pro insigni sua erga deum pietate quod diceret, non habebat. Quibus autẽ talia credita essent, eis vt quid facto opus esset proferrent & statuerent, cõcessit. quo cognito qui tum ecclesiam Romanã gubernabat Liberius finitimis episcopis Principis iussu in Illyrico conuocatis trinitatem definiuit eiusdem substantiæ ac gloriæ deprædicandam. Eam synodum imperator cum fratre Valente sua authoritate roborauit, & ad Orientales transmisit.

Theodosius maior ad idem dogma & Macedonianos authores dãnandos, episcopos sui imperij euocauit ad conuentum, quæ Constantinopolitana synodus vocata est, incidit in annum Christi 389. *Nicepho. li. 12. cap. 10 & 15.*

Nicepho.li. 14.cap.34. Postea insolescente Nestorio Patriarcha Constantinopolitano cum ambiguitate verborũ veritatem inuolueret, vt Christum nudum hominem è virgine natum virginis dei paræ odio ostenderet, Theodosius minor Archadij filius Ephesinam synodum indici fecit, Anno Christi 433.

Nicepho.li. 15.cap.4. Quartum Concilium & Calcedonense Martianus coegit, cum Abbas Eutyches de duobus Christi naturis impiè disputaret, anno 458.

Sub Iustiniano dogmata multa vt Origenis dãnata, per impunitatem superiorum temporũ, sectæ quæ in ecclesiam irrepserant profligatæ, & Nicepho.li. 17.cap.27. sublata omnis de resurrectione dubitatio per synodum Constantinopoli aggregatam, quę quinta generalis vocatur, & Constantinopolitana secunda,

secunda circa Christi annum 660. celebrata est. Anno Christi 789. Cōstātinopolitana tertia synodus conuenit in Palatium Iustiniani minoris cognomēto Trullum, definitum est de duabus voluntatibus in Christo. Monothelitæ damnati.

Septima synodus collecta est anno Christi 890 ad constituendam Græciam, & Orientem discerptum hæresibus a quibus dilaceramur, vt de imaginibus, sanctorū cultu, &c. tenebant imperium Constantinus & Eirene mater.

Tempore Basilij imperatoris Adrianus Papa secundus Constantinopoli indixit Concilium, ad ecclesiasticam disciplinam & canones restituendos, quos imperatores conculcauerant, & ad libidinem mouebant cathedra suos Antistites. Octa

ua & vltima apud Græcos ſynodus appellatur, coacta anno Chriſti 970

Reducto ac reuocato imperio Romano in Occidentem & hæreſes atque concilia cõſecuta ſunt, de quibus alius erit dicendi locus. Prætermitto nationales ſynodos plurimas, quæ emergentibus ſectis, ſi non authoritate & iuſſu catholicorũ Principum, ſaltem aſſenſu ac rogatu indictæ ſunt ex quo ſunt Chriſtum amplexi imperatores. Arrianorum diætas & conuentus ad turbandam potius religionem quam conſtituendam ſæpe inſectatur Athanaſius.

Quæ ad tollendas hæreſes prohibuerint. Cap. VI.

SEX ſunt quaſi cõiugata quibus fundatur & propagatur omnis

secta, & religionem ementitur. Doctrina, locus sacer quo populus conueniat, ministerium, & sacramenta ad æmulationem ecclesiæ immutata, Libri, & de dogmate vulgaris disputatio. Ideo Pij Principes cauerũt imprimis, ne quibus nominib⁹ Christiani vocant ista vt pertinent ad veram & catholicam religionẽ, eorum simiæ hæretici iisdem sua sacrilegia nuncuparent. Deinde sex ista ferè eadem opera vt coniuncta & connexa prohibuerunt hoc est, Ne liceret hæreticis docere, Ecclesias aut locũ ad conueniẽdum possidere: ministros aut clericos creare: sacramenta immutare, aut alibi quã in ecclesia percipere: libros ab hæreticis scriptos seruare: de dogmate passim disputare. Rationẽ admiscent quia spectent hæc omnia in contumeliam sinceræ

religionis & ruinam, ſimplicioribúſ
Nouell. 42 que mali cauſam præbent, ait Iuſti-
nianus. Conſtãtini & Theodoſij ma
ioris in eam rem decreta ex capite
de reuocata licentia repetenda ſunt.
Conſtantinus in Arrium etiam ita
ſcripſit, cum malignos & impios Ar
rius ſibi imitãdos duxerit, par eſt vt
eãdem cùm illis ferat ignominiam.
Quemadmodum igitur Porphirius
diuinæ pietatis hoſtis, iniquis de re-
Nicepho. li. 8. cap. 25. ligione cõpoſitis libris, condignam
reperit mercedẽ. Per quam omnium
futuris ſeculis probris obnoxius e-
rit, plurimáque obruetur infamia. I-
ta & nunc placitũ nobis eſt, Arrium
& Arrij ſuffragatores Porphirianos
quidem nominari, vt quorum mo-
res imitati ſunt, eorum quoque obti
Cod. de ſum. Trinit. l. 2. neant appellationes.

Theodoſij, Gratiani, ac Valenti-

niani extat lex, quam contra Arrianos tulerunt, fortaſſe poſtquam Iuſtinæ deferbuit animus & a Maximo premeretur Valẽtinianus: Nullus hæreticis miniſteriorum locus nulla ad exercendam animi obſtinatioris dementiã pateat occaſio. Sciãt omnes, etiam ſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per fraudẽ elicito, ab huiuſmodi hominum genere impetratum ſit, non valere. Arceãtur cunctorum hęreticorum ab illicitis congregationibus turbæ vnius ac ſummi dei nomẽ vbique celebretur. Nicenę fidei dudum a maioribus traditæ, & diuinæ religionis teſtimonio atque aſſertione firmatę obſeruãtia ſemper mãſura maneat, &c. Qui verò eidem non inſeruiũt, deſinant affectatis verbis alienum veræ religionis nomen aſſumere, & ſuis apertis

leg.8.cod. de haret. criminibus denotentur. Multæ sunt leges Honorij, Arcadij, & minoris *Leg.57.Co. Theod.* Theodosij, quibus ista continentur: Damnatę portentosæ superstitionis (ait Theodosius) authore Nestorio, nota congrui nominis eius inuratur gregalibus, nec Christianorum appellatione abutantur. Sed quemadmodum Arriani, lege diuæ memoriæ Constantini ob similitudinem impietatis Porphiriani a Porphirio nuncupantur, sic vbique participes nefariæ sectæ Nestorij, Nestoriani vocentur (seu Simoniani) vt cuius scelus sunt in deserendo Deo imitati, eius vocabulum iure videantur esse sortiti. Idem sanxit si qua extarent *leg.47. cod.Theo.* Mōtanistarum ędificia, debere non ecclesias, sed antra feralia nominari.

Nostros hæreticos iussisset hugonaleos vocari, non christianos.

leg.16.ibi Arcadius ait. Ne quis hæreticorum quos iam leges innumeræ diui

genitoris nostri continēt, audeat cœtus illicitos congregare profanáque mente omnipotentis dei contaminare mysterium, nec publicè nec priuatim nec in secreto nec palam. Nemo audeat episcopi sibi nomē ascissere, vel ecclesiasticum ordinem, eorúmque sanctissima nomina pollutis mentibus vsurpare. Idem scribit Rufino PP. Ne hæreticorum dementia vlterius conetur perpetrare quæ reppererit, nec inlicita habere concilia, nusquam profana pręcepta vel docere vel discere, ne eorūdem Antistites eorundem audeant fidem insinuare quam non habent, & ministros creare quod non sunt.

Honor. & Theodos. edixerunt: *Leg. 34. ibi*
Donatistarum hæreticorum Iudæorum noua & inusitata detexit audacia, quod catholicę fidei velint sacra

menta turbare. Quæ pestis ad quæ contagionis si latius emanet & profluat (deest aliquid). In eos igit qui aliquid quod sit catholicæ sectę contrarium aduersúmue tētauerint, supplicium iustæ animaduersionis expromi præcipimus. Iidem Eutychiano.P.P. Imperant. Rectores prouin-
Leg.6.ibi ciarum moneantur vt cōuentus eorum arceantur inliciti, qui orthodoxarum religione suffulti, spretis sacrosanctis ecclesiis alio conuenire conantur: his qui ab Arsacij Theophili, Porphirij reuerēdissimorum habere conuentum, non (deest) ire tractatus, non cœtus agere secretos, non nefariæ præuaricationis altaria manus impię officiis impudenter attollere, & mysteriorum simulationē ad iniuriāue religionis aptare. Iidē expressius: Montanistæ cōueniendi

vel celebrandi cœtus ademptam ſibi,& creandi clericos omnem intelligant facultatem, ita vt ſi conuẽtus inlicitos celebrauerint, clerici eorũ & epiſcopi, ſiue presbyteri, vel diaconi qui nefaria conuẽticula ineunda tentauerint, vel creare clericos auſi fuerint, vel etiam creari acquieuerint, ſtilum deportationis accipiant. *Leg. 47. ibi*

Theodoſius minor cum Valentiniano ſcripſit Florentio. Hæreticorum ita eſt reprimẽda inſania, vt ante omnia quas ab orthodoxis abreptas tenent vbicunque eccleſias, ſtatim catholicæ eccleſiæ tradendas eſſe non ambigant, quia ferri non poteſt, vt qui nec proprias habere debuerãt, ab orthodoxis poſſeſſas, aut conditas, ſuáque temeritate inuaſas vltra detineant. *Leg. 56. ibi*

Denique concludunt Arcadius *Leg. 20. ibi*

& Honorius. Cuncti hæretici proculdubio nouerint omnia sibi loca huius vrbis adimenda esse, siue sub ecclesiarum nomine teneantur, siue quæ diaconica appellãtur, vel etiam decanonica, siue in priuatis domib⁹, vel locis priuatis fisco nostro adcorporandis. Præterea omnes clerici hæreticorum ex sacratissima vrbe pellantur, neque his liceat conuenire. Ad hoc, interdicatur his omnibus ad litaniam faciendam intra ciuitatem noctu vel interdie profanis coire conuentibus.

Leg. 46. ibi Theodosius interdicti rationem profert. Sciant cuncti, qui ad ritus suos hæresis superstitionis obrepserant sacrosanctæ legis inimici, plectẽdos se pœna & proscriptionis & sanguinis, si vltra conuenire per publicum exercendi sceleris sui teme-

ritate tentauerint, ne qua vera diuináque reuerentia contagione temeretur. Aliam rationem adiungit. Manichæos, hæreticos scisinaticos siue mathematicos, omnémque sectam catholicis inimicam ab ipso aspectu vobis Romæ exterminari præcipimus, vt nec pręsentiæ criminosorũ contagione fædentur. *Leg. 53. ibi*

Post Theodosium Martianus edicit Eutychianistis & Apollinaristis ne audeãt cuiquam episcopi vel presbyteri vel clerici nomen imponere, ne ecclesias aut monasteria sibi construere, ne parasynaxim & conuenticulam tam diurnam quam nocturnam cõtrahere, ne ad cuiusquã domum aut vllum omnino locum congregari. *Leg. 8. Cod. de hæreticis*

Ita Iustinianus Anthimi Seueri & Petri proscriptionem describit. San *Nouella 42.*

cimus vt vnusquisque eorum silentium agat, & neque vllos in vnum conuocent, neq; adeuntes recipiant, neque improbato more baptisare, aut sacram communionem defæda re, & aliquibus eam distribuere, aut vetitas doctrinas explanare audeāt, vel in regia hac nostra vrbe vel alia, nihil nō periculi reuereātur, si quid tale perpetrauerint. Nihil sparsit citius & longius hæresim quam libri ad seducendum compositi. Nihil se ditionem incendit facilius, & homi nes inter se cōmittit, quàm plebeia & ad calices de religione disputatio, per quam calescētibus animis a verbis ad verbera Lapytharum more sę pe decurritur. Vtriusque pernicies vt ostēdatur, longiorem orationem desiderat, quam in suum nostri hæreticismi locum differemus. Nunc

ſummatim vt alia perſtringam⁹. Prima lex de capite lata in tutelam religionis catholicæ Chriſtianæ per Cõſtantinum in eos eſt, qui libros hæreticorũ aſſeruarent aut exſcriberent. Ita habet eius epiſtola: Si quod ſcriptum ab Arrio compoſitum reperiatur, vt igni id tradatur volum⁹, vt non modo improba eius doctrina abrogetur, verũ etiam ne monumentum quidem eius relinquatur. Illud equidem prædictum volo ſi quis libellum aliquem ab Arrio conſcriptum celare, nec cõtinuo igni comburere, depræhenſus fuerit, ſupplicium ei mortis eſſe cõſtitutum. Illico namque in crimine tali compræhẽſus, pœnam ſuſtinebit capitalem. *Nicepho. li. 8. cap. 25.*

Sanxit eadem in Neſtoriũ Theodoſius minor. Ne impios, ait, libros nefandi & ſacrilegi Neſtorij aduer- *Leg. 6. Cod. de hæreticis*

ſus venerabilem orthodoxorum ſe-
ctam, decretáque ſanctiſsimi cœtus
Antiſtitũ Epheſi habiti ſcriptos habere,
aut legere, aut deſcribere audeat
quiſquam, quos diligenti requiri
ſtudio aut publicè comburi decernimus.
Eadem decernunt contra Eunomianos,
& Montaniſtas Archadius
& Honorius. Codices ſcelerum
omnium doctrinam, ac materiam
continentes ſumma ſagacitate mox
Leg. 24. Cod. Theodoſ. vt ſup. quæri, ac prodi exerta authoritate
mandamus, ſub aſpectibus iudicantium
incendio mox cremandos. Ex
quibus ſi qui forte aliud qualibet occaſione
vel fraude occultaſſe, nec
prodidiſſe cõuincitur, ſciat ſe velut
noxiorum codicum, & maleficij crimine
conſcriptorum retentorem capite
eſſe plectendum. Martianus ad
robur, & confirmationem Concilij

Calcedon.adiungit, Nulli cõtra Calcedonẽsem venerabilem synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, atque emittere, aut aliorum dicta vel scripta super eadem re proferre. Nemo huiusmodi habere libros & sacrilega scriptorũ audeat monumenta seruare. Omnes chartæ, ac libri, qui funestum Eutychetis, hoc est Apollinaris fuerint dogma complexi, incendio concrementur vt facinorosæ peruersitatis vestigia, ita flammis combusta pereant. Æquum namque est vt immanissima sacrilegia, par pœnę magnitudo percellat. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur. Non deest officio suo hac in parte Iustinianus. In vniuersum omnibus interdicim9, ne quid librorum Seueri comparẽt.

Leg. 8. co. de hæret.

Nouell. 42

& quemadmodum Neſtorij libros deſcribere, aut cōparare non licet, propterea quod ante nos imperatoribus in ſuis cōſtitutionibus videantur Porphirij ſcriptis contra Chriſtianos editis ſimiles exiſtere: ita neque Seueri dicta, ſcriptáue apud quem Chriſtianorum manento, ſed profana ſunto, & a catholica eccleſia aliena, ignique comburuntor a poſſeſſoribus, niſi illis retinendis in periculum adduci velint. Præterea a nemine in poſterum conſcribuntor, ſiue librarius aliquis, ſiue notarius, ſiue quiſquam alius ſit, ſciens quod illius dicta conſcribētibus abſciſsio manus in pœnā irrogabitur. Nolumus etenim vt illorū blaſphemia ad alia prorepat ſecula.

Ad inhibendas & compeſcendas diſputationes quibus fora, palatia,

&

& vniuersi cœtus tempore hæreseō perstrepunt, Theodosius maior Valentinianus & Arcadius ita constituunt. Nulli egresso ad publicū vel disceptādi de religione, vel tractandi, vel consilij aliquid deferendi, patescat occasio. Et si quis posthac ausu graui atque damnabili contra huiuscemodi legem veniēdum esse crediderit, vel insistere motu pestiferæ perseuerationis audebit, competēti pœna, & digno supplicio coerceatur. Honorius & Theodosi⁹ minor iubent in exilium detrudi, qui audēt disputare ea, & asserere quæ institutio diuina condemnat. Martiani lex celeberrima est, quę tres rationes cō tinet, quibus merito vulgaris interdicitur disputatio de his potissimum quæ conciliis cōstituta sunt. Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cu

Leg. 2. Cod. Theodos. vt supra.

Leg. 35. ibi

Leg. 3. de summa Trinita.

iuslibet conditionis de fide Christiana, publicè turbis coadunatis & audientibus tractare conetur in posterũ, ex hoc tumultus vel perfidiæ occasionẽ requirens. Nam & iniuriam facit reuerẽdissimæ synodi iudicio, siquis semel iudicata ac recte disposita reuoluere, ac publicè disputare contẽderit, cũ ea quæ nunc de Christiana fide a sacerdotibus, qui Calcedone conuenerũt, per nostra præcepta, statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones, & instituta sanctorum patrum trecẽtorum decem & octo, & centum & quinquaginta in hac regia vrbe definita esse noscũtur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit, quia non solum contra fidem recte expositam veniunt, sed etiam Iudęis & paganis ex huius certamine profanant veneranda myste

ria. Eos qui discẽdi studio audierint de infausta hæresi disputãtes, decem librarum auri, quæ fisco nostro inferendæ sunt, iubemus subire dispendium. Idem contra Eutichetis & Apollinaris asseclas: Nulli Eutichimistę, vel Apollinaristę, publicè vel priuatim aduocandi cœtus & circulos contrahẽdi, & de errore hæreticorũ disputandi, ac peruersitatem facinorosi dogmatis asserẽdi tribuatur facultas. Nulli etiam contra Calcedo. venerabilẽ synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere atque emittere, aut aliorum dicta vel scripta super eadẽ re proferre. Eos verò qui discẽdi studio audierint de infausta hæresi disputantes, 10. libr. auri quæ fisco nostro inferẽdæ sunt, iubemus subire dispendium. Cum interdicto nõ ineũdæ disputationis *Leg. 8. Cod. de hæreticis*

liberos hæreticos non fecerunt. Mahumetarum enim iſtud eſt conflare ex hæreſibus religionẽ cum cautione, ne quis contra diſputet: ſed contra a catholicis Principibus poſt excluſos hæreticos, ne rurſum occaſionem quærerent docendi, intercluſa eſt omnibus vox ne controuerſias intenderent, aut audirẽt de religione, quæ piè poſt legitimam definitionem colenda eſt, non curioſè diſcutienda.

In quos homines potiſsimum animaduerterint. Cap. VII.

DOctores hæreſeon, ex ordine eccleſiaſtico clerici, eorúmque miniſtri, receptatores, Aulici, Præſides prouinciarum, ac iudices qui conniuẽt, ab imperatoribus præ

aliis damnantur. Ita Constãtinus dimisso Nicæno concilio duces Arria norũ cũ Arrio proscripsit: ita Theodosius maior Antesignanos sectarũ quos ad disputationẽ euocarat, cum indociles ac peruicaces videret, ex agris & vrbibus pelli iussit. Eiusdem cum Valentiniano atque Arcadio constitutio legitur. Hi qui sæui dogmatis retinent principatum, hoc est Episcopi, presbyteri, diaconi, atque lectores, & qui clericatus velamine religioni maculam conantur infligere, sub cuiuslibet hęresis, siue erroris nomine constituti, & funestis conciliabulis intra vrbem seu in suburbanis esse videantur, omnimodo propellantur. Ipsius liberi Honorius & Arcadius patris consilium & iudicium secuti, ista promulgarunt. Doctores authorésq; Eunomianorum

Niceph. li. 12. cap. 15.

Leg. 10. Co. Theodos. vt supra.

Leg. 21. & 22. ibi

facinoris inuestigati, clericíque maximi, quorum furor tantum suasit errorem, è ciuitatibus pellantur extorres. Doctores Apollinariorum tota maturitate præcipimus ex ædibus charæ nobis abscedere ciuitatis, ita vt si obumbrati latebris abire neglexerit, occultos cœtus, vt æstimāt habituri, ea loca vel domos quibus prædictos cōgregauerint, fisca ratio ne nectantur. Eunomianæ superstitionis clerici seu Montanistæ, consortio vel conuersatione ciuitatum vniuersarū, atque vrbium expellantur. Qui si forte in rure degentes aut populum congregare, aut aliquos probabuntur inire conuentus, perpetuo deportentur, &c. Si verò in qualibet post publicatam solemniter iussionem vrbe deprehensi, aut aliquam celebrandæ superstitionis

leg. 25. ibi

leg. 24. ibi

gratia ingreſsi domum probabũtur, & ipſi adeptis bonis vltima animaduerſione plectãtur, &c. Miniſtri ſceleris, quos falſo nomine ſuos Antiſtites vocãt, ſi in collectione aliqua fuerint deprehenſi, deportẽtur, omnibus bonis ablatis. Theodoſius minor nihilo mitiori ſententia Iouianum ferit: Iouianum ſacrilegos agere conuentus extra muros vrbis ſacratiſsimæ epiſcoporum querela deplorat. Quare ſupra memoratũ corripi præcipimus, & contuſum plumbo cum cæteris ſuis participibus & miniſtris exilio coerceri. Ipſum autem machinatorẽ in inſulam boam feſtina celeritate deduci, cæteros prout libuerit (dummodo ſuperſtitioſa coniuratio exilij ipſius diſcretione ſoluatur) ſolitariis, & lõgo ſpatio poſitis inſulis in perpetuum de-

leg. 26. ibi

leg. 43. ibi

portatis.

Quoniam pessimum genus receptatorum est, sine quibus latere nemo diu potest, grauissimam imperatores pœnam statuerunt in eos, qui hęreticos aut hęreticorum cœtus in suas ædes admittunt. Interdum eos mulcta pecuniæ afficiunt, interdum possessionum omnium, aut illarum ædium amissione. Interdum capite puniunt, aut cæsos fustibus deportatione. Ædes priuatæ fisco adiudicantur, si publicę eas possederit secta, ecclesiæ catholicę attribuuntur, aut etiam fisco. Constantinus illas ædes deponi & dirui imperauit.

Euseb. li. 3. de vita Cōstantini.

Valentinianus, Theodosius maior & Arcad. sic loquuntur: locū in quo vetita tentantur, si cohibentia domini patuerit, censemus fisci nostri viribus aggregari. Quod si is qui pos-

Leg. 11. ibi

ſeſsionẽ quippe clanculum geſtum ignoraſſe conſtiterit, conductorem eius fundi ſi ingenuus eſt, decem libras fiſco noſtro inferre præcipim⁹, ſi ſeruili fæce deſcendens paupertate ſui pœnam damni ac vilitate contemnit, cæſus fuſtibus deportatione damnabitur. Augent pœnam Honorius & Arcadius. Procurator poſſeſſionis vltima animaduerſione puniatur, dominus poſſeſsione priuetur, in qua his conſciis ac tacentibus infauſti damnatíque conuentus probabuntur agitati. Domus in qua ea ſorte qua dictum eſt ingreſsi, nec ſtatim a domino dominaue domus expulſi, ac proditi fuerint, fiſco ſine dilatione ſocietur. Eunomiani conciliis abſtineant, cœtus inlicitos derelinquant, & ſciant ſibi interdictas eſſe collectiones, aut pœnas paratas, Leg. 24. ibi Leg. 26. ibi

ita vt fundi procurator, vel domus vrbanæ vilicus, in quibus profana myſteria fuerint celebrata, vltimo ſupplicio feriātur, ipſáque poſſeſsio & domus fiſco vindicetur, ſi ſciente domino, & non prohibente, noſtræ iuſsioni fuerit obniſum. Theodoſius minor de Eccleſiis Donatiſtarū
Leg. 22. ibi ita reſpōdet. Clerici miniſtríque eorū, ac pernicioſiſsimi ſacerdotes oblati, de Affricano ſolo quod ritu ſacrilego polluerunt, in exiliū viritim ad ſingulas quaſque regiones ſub idonea proſecutione mittātur, eccleſiis eorum vel conuēticulis, prædiíſque, ſi qua eorum eccleſiis hæreticorum largitas praua cōtulit, proprietati poteſtatíque catholicę ſicut iam dudum ſtatuimus, vindicatis. Loca
Leg. 44. ibi in quibus dira ſuperſtitio Donatiſtarum nūc vſque ſecuta eſt, catholicæ

venerabili eccleſiæ ſocientur, ita vt Epiſcopi, presbyteri, omnéſque Antiſtites eorũ, & miniſtri ſpoliati omnibus facultatibus, ad ſingulas quaſque inſulas atque prouincias exulandi gratia dirigãtur. Quiſquis autem hos fugiẽtes propoſitam vltionem occultandi cauſa ſuſceperit, ſciat & patrimonium fiſci noſtri compendiis adgregandum, & ſe pœnam quæ his propoſita eſt ſubiturum. Eadem ſanxit in Montaniſtas. Qui ad celebrandos interdictos conuentus Montaniſtas ſuſceperint, ea ipſa re, in qua hoc fieri conceſſerint, & execrabilia myſteria celebrare, proculdubio intelligant ſpoliãdos, ſiue domus ea fuerit, ſiue poſſeſsio, ſiue procuratores ignorãtibus dominis eos ſuſceperint, in exilium vehementer coercitos non ambigant ablegãdos: *Leg. 46. ibi*

ſi qua etiam propria eorum nunc ex tant ædificia, quæ nõ eccleſię, ſed an tra debent feralia nominari, venera bilibus eccleſiis orthodoxæ ſectę cũ donariis addicentur. Quod quiden. ita fieri oportebit, vt abſtineatur pri uatorũ rebus, ne ſub obtentu rerum ad eccleſias Mõtaniſtarum pertinen tium, aduerſus priuatos ſpoliatio ac direptio perpetretur.

De periculis quæ Principi immineãt ab aulicis hęreticis, nec tempus eſt dicẽdi, nec locus, ne quos non licet nec fas eſt, offendam. Conſtãtio Conſtantini patri ſuſcepta Chriſti fide primum ſtudium fuit ſuos internoſcere, & quos nouerat alienæ a ſe religionis abigere. Ne quidem ſoror Conſtantini corrupta ab Arriano presbitero, auſa eſt ad fratrem imperatorem referre de hæreticis,

antequam desperata vita sibi moriẽdum sensit. Eunomius in suburbano Constãtinopolis degens, suos sibi conuẽtus cogebat, & libros quos contra veram pietatem conscripserat, absque metu omni publicabat, multósque orationis suæ fraude in eandem perditionis foueam ita trahebat, vt breui tempore ingentem multitudinẽ ad se adduxerit, & non nullos etiam ex imperatoris cubiculo ad partes suas illexerit. *Socrates li. 1. cap. 25.* *Nicepho. li. 12. cap. 29.*

Theodosius maior vbi suos illum præter modũ obseruare cognouit, eos quidẽ ab aula sua ꝓscripsit. Ad Eunomium autem quamprimum Calcedone capiendum, certos homines misit, eúmque Halmyridem deportari iussit. Est autem Halmyris Mysię in Europa locus ad istrum situs.

Leg.32. Co. Theodos. vt supra. Patrem imitati liberi Honorius & Arcadius, grauissimè pronuntiant: Eos qui catholicę sectę sunt inimici intra palatiũ militare prohibemus, vt nullus nobis sit aliqua ratione cõiũctus, qui a nobis fide & religionę discordat. Leg.19.ibi Patrisat ea in re etiã Theodosius minor: Sublimitatẽ tuam inuestigare præcipimus (scribit Marcello officiorum magistro) an aliqui hæreticorũ, vel scriniis, vel inter agẽtes in rebus, vel inter Palatinos cum legum nostrarum iniuria audeãt militare, quibus exẽplo diui patris nostri omnis & a nobis negata est militandi facultas. Quoscunque autem deprehenderis culpæ huius affines cum ipsis, quibus & in legum nostrarum, & in religionum excidium cõhibentiam præstiterunt, non solum militia eximi, verũ etiam extra mœ-

nia vrbis huiusce iubebis arceri. Idẽ cum patre Arcadio & Patruo Honorio pręcipit Anthemio officiorũ magistro. Cuncta officia moneãtur a tumultuosis conuentibus se abstinere, & qui sacrilego animo authoritatem nostri numinis ausi sint expugnare, priuati cingulo, bonorum proscriptione mulctentur:

De Iudicibus & Præsidibus Prouinciarum scriptum est, diis non detrahes. Gallia per experientiam plus didicit quã nostris verbis possimus explanare, quanti momenti sint ad continendum populum in officio religionis & diuino obsequio. Ex antiquitate obseruaui iudices nullis principum seu Tyrannorum, seu hęreticorum stimulis indiguisse ad affligendos catholicos, vt etiam adnotat Balduinus ad sua edicta: sed ad

cōprimendos hæreticos, nescio quo pacto principibus defuerunt. Quod a me dictū bona venia sanctissimorum iudicum postulo. Certe ab infidelibus imperatoribus sæpe de nimia in nos acerbitate accusantur, a catholicis verò de negligentia & cō-
leg. 14. ibi niuentia in hæreticos. Ideo Arcadius ait. Ne per cohibētiam iudicantum, omniúmque quibus per cōstitutiones paternas super hoc cura demandata est, hæreticorum audacia negligatur, & crescat. Honorius fra-
leg. 30. ibi tris constitutioni subscribit. Defensores, & principales vrbium singularum, necnon & officia prouincialia decem librarum auri pœna constringet, nisi in his quæ a iudicibus super hęc pręcepta fuerint exequendis, & sagacissimam curam & solertissimam operam commodarint.

Theo-

Theodoſius minor ſocordiam aut malitiam ſuorum iudicum agnoſcit & arguit. Si quiſquam iudicum loco cohibentiæ exſecutionem præſentis legis omiſerit, nouerit amiſſa dignitate grauiorem motum ſe noſtræ clemētiæ ſubiturum. Officium quoque ſuum quod ſaluti propriæ cōtempta ſuggeſtione defuerit, punitis tribus primatibus condemnatione viginti librarum auri plectendum. Ordines quoq; viri, ſi in propriis ciuitatibus vel territoriis commiſſum tale aliquid ſiluerint in gratiam noxiorum, deportationis pœnam & propriarum amiſsionem facultatum ſe nouerint ſubituros. Acerbiſsimam legem & generalem in hæreticos ſui imperij ita concludit. Omnia ita cuſtodiri decernimus, vt nulli iudicū liceat delatum ad ſe cri-

Leg. 36. ibi

Leg. 56. ibi

men minori, aut nulli cohercitioni mandare, nisi ipse id pati velit, quod aliis dissimulando cõcesserit. Nihil hęretici meditari valeant ad circunscriptionem legum, omni ciuili & militari curiarum etiam, & defensorum, & iudicũ sub viginti librarum auri interminatione prohibendi au-
Leg.14.Co. de hæreticis xilio. Martianus decessoris sui querelã de iudicibus prosequitur. Sciãt moderatores prouinciarum eorumque apparitores, defensores etiã ciuitatum, quòd si ea, quę legis huiusmodi religiosissima sanctione custodienda decreuimus, aut neglexerint, aut aliqua permiserint temeritate violari, denarum librarum auri mulctam cogentur inferre. Insuper etiam existimationis suæ periculum sustinebunt.

Quo consilio pœnas decreuerunt. *Cap. VIII.*

PRincipio, vt antea recitauimus, deteriores fieri hæreticos licentia experti sũt. Pœnas adhibuerunt in eum vsum, ne hæreticorum dementia conaretur perpetrare quæ reppererit, dixit cum Valentino & magno Theodosio Arcadius. Ei filius Theodosius minor hac catholica constitutione assentitur, atque addit insuper alias rationes. Omnes hæreses (ait) omnesque perfidias, omnia schismata, superstitionesque gẽtilium, omnes catholicæ legis inimicos insectamur errores. Si quos vero hæc quoque clemẽtiæ nostrę statuta pœna comitetur, & nouerint sacrilegæ superstitionis, auctores, participes, cõsocios, proscriptione ple-

Leg. 14. Cod. Theodos. vt sup.

Leg. 54. ibi

ctendos, vt ab errore perfidiæ, ſi ratione retrahi nequeunt, ſaltem terrore reuocentur, & vniuerſo ſupplicationum aditu in perpetuum denegato criminibus, debita ſeueritate plectantur. Quia mederi potius quam perdere, terrere quã ſæuire, inſtituerunt, legibus aſperius ſunt comminati, quam re ipſa ſupplicium infli-
Nicepho.li. 8.cap.52. xerint. Conſtantinus non illibenter de rigore legis a ſe conditæ in hæreſes remiſit, & perterrefacere potius ſubditos quam necare maluit. Attamen ſi obfirmatis animis ſecta perſtiterit, pronunciauit breui ſententia quam antea attulimus, ſine miſericordia illam præcidendam. Theodoſius conſtitutionibus ſuis pœnas
Nicepho.li. 12.cap.15. graues addidit, ſi quemquam contra decreta ſua commiſſe comperiſſet. Sed eas executioni non manda-

uit, metum enim tantum hæreſeon ſtudioſis incutere voluit. Et id maxime ſtudio habuit, vt populi imperio ſubditi, eandem ſecum de Deo obtinerent opinionem. Quapropter magno etiam eos proſecutus eſt honore, quos ab hęreticis ad eccleſiã tranſiiſſe cognouit. Nihilominus Eunomium deiecit ex hominum conſortio. Martianus quantum vix alius quiſquam verioris erga Deum pietatis iuſtitiæque cultor fuit. Formidabilis etiam maxime habitus eſt, non tam exemplis pœnarum editis, quam expectatione & metu ſuppliciorum. Ideo propoſitis edictis in vltionem hæreſeon, pij Principes emendationem excipiũt, ſpem veniæ redeuntibus oſtendunt, interdum abolitionem decreto ſanxerunt, aliquando tempus ad deliberãdum &

Nicepho. li 12. cap. 29.

Nicepho. li. 13. cap. 1.

resipiscẽdum definiunt, vt tres menses Iustinianus, sicut antea diximus. Ita scripsit Theodosius minor Basso. Omnes personas erroris infausti iubemus excludi; nisi his emẽdatio matura subuenerit. Idẽ scripsit Fausto. Circa hos exercenda maxime cõmonitio est, qui prauis suasionibus a venerabilis papæ sese communione suspendunt, quorum schismate plebs etiam reliqua vitiatur, his conuentione præmissa viginti dierum condonabimus indutias, intra quos nisi ad communionis redierint vnitatem, expulsi vsque ad centesimum lapidem, solitudine quam eligunt, marcerentur. Scripserunt in eam sententiam Honorius & Arcadius Senatori. Delicti veniam, pœnitentibus damus. Iidem elegantissimam hanc legem Porphyro P.V. Africæ

Leg. 55. Co. Theodos. vt supra.

Leg. 53. ibi

Leg. 30. ibi

miserunt de abolitione. Licet crimi na soleat pœna purgare, nos tamen prauas hominum voluntates admo nitione pœnitentiæ volumus emen dare. Quicunque igitur hæreticorũ, siue Donatistæ sint, siue Manichæi, vel cuiusque prauæ alterius opinio- nis ac sectæ, ꝓfanis ritibus adgrega- ti, catholicam fidem & ritum quem per omnes homines cupimus ob- seruari, simplici cõfessione suscepe- rint, licet adeo inueteratum malum longa ac diuturna meditatione nu- triuerint, vt etiam legibus ante latis videãtur obnoxij, tamen hos statim vt fuerint Deum simplici religione confessi, ab omni noxa absoluẽdos esse censemus, vt ad omnem seu an- te contractus est, seu postea (quod nolumus) cõtrahitur, etiamsi maxi- me reos pœna videatur vrgere, suffi *Leg. 31. ibi*

ciat abolitionem errorum, proprio damnauisse iudicio, & Dei omnipotentis nomen inter ipsa quoque pericula requisitum fuisse complexum, quia nusquam debet in miseris inuocatum religionis deesse subsidium. Vt igitur priores quas statuimus leges, in excidiũ sacrilegarum mentium omni executionis vrgeri effectu, ita his qui simplicis fide religionis, licet sera confessione maluerint, censemus datis legibus non teneri. Quæ ideo sanximus, quo vniuersi cognoscant, nec profanis hominum studiis deesse vindictam, & ad rectum redũdare cultum, legum quoque adesse suffragium, &c. Itaque declarant Christianissimi imperatores, quæ iusta sit abolitio, nẽpe si adsit simplex ac minime simulata catholicę fidei confessio, si vna cum

ſpe veniæ, in obſtinatos legum ſeueritas maior exerceatur. Nulla naturæ bonitas eos vnquam adduxiſſet, vt illos ſoluerent qui omnia diuina, atque humana ſurſum, ac deorſum miſcere, ac turbare petulantiſsime ſtudēt: vt impune per eos liceret cui cunque in Chriſti & eccleſiæ catholicæ religionem priuatim ac publice peccare: vt dimitterentur qui comprehenſi ita de fide reſpōdent, vt palam & perfricta fronte blaſphemēt, aut ita diſsimulant, vt eorum ſimulata fidei confeſsio, duplex infidelitatis aſſertio facile intelligatur.

Experientia poſtea docuit bonos illos Principes, aut eorum ſucceſſores, nihil aut parū ad delendas ſectas profectum clementia. Ideo poſt ablatas libertates, & blāditias, vt capite de reuocata libertate ſcripſimus,

ingrauescentibus morbis grauiora remedia per ætates adhibuerunt. Oportet (ait Martianus) vt sit numerosa seueritas sanctionum, vbi est licētia crebra culparum. Sententia veteri (respōdet Theodosius minor) desperatis morbis nulla est adhibenda curatio, ideo ne ferales sectæ in vitā immemores nostri sequuti, velut indiscreta cōfessione licentius euagentur, hac victura in omne æuum lege sancimus; vt bona sua proscripta cernat, mox pœnæ sanguinis destinandus, quicunque fidem alterius expugnauit peruersa doctrina. Idem cum patre Honorio quasi excandescat ob duritiam hæreticorū edicit. Si qui pertinaci improbitate vetita & damnata repetiuerit, sciat se austeriorem sententiam subiturum. Donatistas atque hæreticos, quos cle-

In sacro edicto post Cōcilium Calcedon.

In Nouella Theodosii de Iudæis hæreticis & paganis

Leg. 43. & 44. Cod. Theodos. vt supra.

mentia patientiæ nostrę nunc vsque seruauit, competenti constituimus authoritate percelli. Non omittenda Valentiniani, Theodosij Magni, & Arcadij comminatio in eos qui eorum abuterentur facilitate. His qui sibi tantummodo existimãt colligendi copiam contributam, si turbulentum quippiam contra nostræ tranquillitatis præceptũ faciendum esse tentauerint, vt seditionis auctores, pacisque turbatæ ecclesiæ maiestatis, capite ac sanguine sint supplicia luituri. Non omittenda comminatio par, quæ ab Honorio intentatur. Quod si quis audeat interdictis sese illicitisque miscere, & præterito rum innumerabilium constitutorũ, & legis nuper a mansuetudine nostra prolatæ forte conuenerint, seditionis concitatos aculeos acrioris

Leg.1.ibi

Leg.28.ibi

cōmotionis non dubitet exherēdos.

Quibus generibus pœnarum hæreticos expugnarint. Cap. IX.

PRincipio omnia iura ſocietatis humanæ ſectis denegarũt & eripuerunt. Diximus ſuo loco à Cōſtantino negari priuilegia extendi oportere ad hęreticos, quæ Chriſtianis irrogaſſet. Lex eſt quæ tribuitur Cōſtātini tribus liberis, Cōſtātino, Cōſtantio & Cōſtanti. Priuilegia quæ cōtemplatione religionis indulta ſunt, catholicæ tantũ legis obſeruatoribus prodeſſe oportet. Hæreticos nō ſolũ his priuilegiis alienos eſſe volumus, ſed aduerſis munerib⁹ cōſtringi & ſubiici. Theodoſius maior ſanxit ne à ſe damnati hæretici quicquā cum reliquis ciuibus commune haberent. Ipſius cũ Valentiniano & Arcadio lex iſta habetur.

Leg. 1. cod. de hæreticis

Nicepho. li. 12. cap. 15.

Eunomiani Spadones nec faciendi nec adipiscendi habeant licentiam testamenti. Quod circa omnes quos viuos lex inuenerit, volumus custodiri, nec quemquam præteritæ cuiusquam voluntatis priuilegio defensori, cum seu facta prius testamẽta, seu infacta doceantur, post hanc nostri oraculi sanctionem non habeant possidendi licentiam, non petendi, non etiam relinquendi hæredem nomine principali, non fidei cõmissario, non legatario, non tacito fidei commisso, vel quamcunque in huiusmodi negotiis nũcupationem iuris ordo constituit, sed omnia quę talia esse, vel futura esse cõstiterit, vt caduca fisci nostri viribus vindicentur, nil ad summum habeant commune cum reliquis. Iidem Albino. P.V. mandarunt. Voluntates Mani-

Leg.8.Cod. Theodos. vt supra.

Leg. 30. ibi

chęorum,quinimmo ipsæ etiam facultates populo publicatæ,nec vim testamẽtorum habeant,nec derelinqui per eos, aut hisdem fas sit, nihil ad summum his sit commune cum mundo.Honorius cum fratre Arcadio Senatori rescripsit. Quid de Do-
leg.30.ibi natistis sentiremus, nuper ostendimus.Pręcipue tamẽ Manichęos,vel Fryges, siue Priscianistas, meritissima seueritate persequimur. Huic itaque hominũ generi, nihil ex moribus, nihil ex legibus,sit commune cum cæteris. Quos bonorum etiam publicatione persequimur; quæ tamen cædere iubemus proximis quibusque personis, ita vt ascendentium, vel descendentiũ, vel venientium ex latere cognatorum vsque ad secundum gradum velut in successionibus ordo seruetur. Quibus

ita demum ad capiendas facultates esse ius patimur, si non & ipsi conscientia polluuntur. Ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitatis & succesionis titulo. Venientes pręterea nō donandi, non emendi, non vendendi, non postremo cō-contrahendi cuique conuicto relinquimus facultatem: In mortem quoque inquisitio tendit. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immerito & hic debet subire iudicium. Ergo & suprema illius scriptura irrita sit, siue testamento, siue codicillo, siue epistola, siue quolibet genere reliquerit voluntatis, qui aut Manichæus, aut Fryga, aut Priscianista fuisse conuincitur. Hoc quoque casu eadem illa circa gradus superius comprehensos conditione seruata.

Alioquin nec filios existere, aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint. Theodosius minor cum patre Arcadio, Anthemio

leg.39. ibid. significat. Manētibus his quæ in Eunomianos lex diui patris clementiæ nostræ iamdudū cōstituit, deinceps inuicē sibi vel donare, vel ipsos donatione consequi, nihil item relinquere aut capere testamento decernimus. Careant emolumētis quæ ex donationibus, vel morientium voluntate alterius solebant inlecebris fraude, & circunuentione percipere, vt in totum vtriusque iuris communione priuentur, tantúmque eis ab intestato succedat quod ad succedendi ius proditus veteribus legibus ordo præscripsit, ita vt si nullus ex his superstes fuerit, qui iure ab intestato ad hęreditatem vocatur, tūc

bona

bona in hac superstitione defuncti ad fiscum nostrum pertineant. Donationes etiam prædicto more prohibitæ sacrarij nostri incremẽtis accedant, ita vt tamẽ nulli ex his quicquam à nostra munificentia deposcere liceat, nemini que percipere: & si quid forte voluerimus vltro largiri, sed in iure fisci maneant semper, nisi ea publicę vtilitatis ratio venditioni subiecerit. Ab eodem Aurelianus ita admonetur. Cõfirmata prioribus legibus quę promulgatæ sunt, tam circa inhibendos cõuentus Eunomianorum, quam etiam circa interdictas nouissimas voluntates, aut liberalitates, illud addimus, vt si qui de Eunomianis speciali beneficio meruerant, vt eis testamenti factio indulgeretur, vel donandi vel accipiendi, ex largitate licentia tri- *leg. 49. ibi*

buatur, priuentur hoc beneficio, & pares cæteris ſint, quibus pares ſunt in dogmatis prauitate. Nulli penitus teſtari liceat Eunomiano in Eunomianum, nulli eiuſdem peruerſitatis ex teſtamento quicquam percipere Eunomiani, nemo donet, nec Eunomianus ab Eunomiano liberalitatẽ prædij, vel domus accipiat, etiamſi per interpoſitam alterius ſectę perſonam, vel titulum venditionis imaginariæ fraus quædã legi fuerit excogitata. Tantum hi qui ab inteſtato venturi ſunt ex legibus, in eorum hæreditate ſuccedant, atq; his locus pateat ſucceſsionis, ad quos iura ſanguinis legitimas inteſtatorũ deferunt hæreditates. Deinde hæreticis ius ademptum petendi, aut gerendi magiſtratus in Repub. aut aula regia Chriſtianorum. His verbis

Arcadius cum Valentiniano & patre Theodosio magno, legem cõcepit. Sublimitatem tuam inuestigare praecipimus, an aliqui haereticorum vel scriniis, vel inter agẽtes in rebus vel inter Palatinos, cum legum nostrarum iniuria audeãt militare, quibus exemplo diui patris nostri, omnis & à nobis negata est militandi facultas. Quoscunque autem deprehenderis culpae huius affines cũ ipsis, quibus & in legum nostrarum & in religionum excidiũ cohibentiam praestiterunt, non solum militia eximi, verumetiam extra mœnia vrbis huiusce iubebis arceri. Theodosius minor rescripsit Aureliano. Nemo Eunomianus vel militet, vel prouinciam sub administratione cuiuslibet officij suscipiat gubernandam. Vetant insuper imperatores se rogari

Leg. 19. ibi

Leg. 49. ibi

pro hæreticis, aut à iudicibus vllo modo adiuuari, aut honoris causa in hominum colloquia nominari.

Leg. 54. ibi Theodosius minor. Vniuerso supplicationem aditu in perpetuũ denegato criminibus debita seueritate plectuntur omnes hęreses & omnes perfidiæ. Idem præcipit Florentio:

Leg. 56. ibi Nec in publico conuenire loco, nec ædificare sibi ecclesias valeant hęretici, nec ad circunscriptionẽ legum quicquam meditari, omni ciuili & militari, curarum etiam & defensorum, & iudicum sub viginti librarũ auri interminatione prohibendi auxilio, manentibus omnibus in sua firmitate pœnis, quę de diuersis sunt hæreticis promulgatæ. Ita vt nec speciale quidem beneficium aduersus leges valeat impetratum. Honorius cum Arcadio decernit. Nemo

Manichæũ, nemo Donatistam, qui præcipue vt comperimus, furere nõ desistunt, in memoriã reuocet, vna sit catholica veneratio, vna salus, Trinitatis par, sibíque congruens sanctitas expectatur. Theodosius minor contra Nestorianos hoc pacto pronunciat. Nemo in religionis disputatione aliquã Nestoriani nominis faciat mentionem.

Leg. 28. ibi

Leg. 6. de hæret. Cod.

De proscriptione bonorum & pœna pecuniaria. *Cap. X.*

SVperiori capite aliqua dicta sũt de fortunis, quibus iubentur priuari hæretici. Id genus supplicij primũ irrogauit Constantinus Magnus, quemadmodum apud Augustinum est. Mitius egit Theodosius Maior, vt ad Dulcitium Tribunum

Epist. 48. & 50.

idem Auguſt. narrat. Nam in conuictos duntaxat decem librarum auri pœnam conſtituit. Arbitror Auguſtinum verba facere de pœna mitiſsima, alioqui longe grauiora ſupplicia inſtituit & inflixit, quemadmodum in ipſius ac liberorum Arcadij & Honorij edictis, expreſſe continetur. De denis his libris paſſim in legibus de religione conſcriptis. In pœnis ea moderatio & æquitas obſeruata eſt à piis imperatoribus, vt nō ſtatim vſi ſint ſummo iure in ſectam exortam, neque tamen pœnas remiſerint, ſed aggrauarint, quoad hominum frangeretur peruicacia. Indixerūt multam pecuniæ pro ſtatu & cōditione perſonarum, qui cœtus illicitos adirent. A multa ſi negligeretur, ad bonorū proſcriptionem tranſierūt, à proſcriptione

ad exiliũ & deportationẽ, à deportatione fecit hominum malitia, peruersitas ac durities, vt petere caput fuerit necesse. Vt ad primum redeamus. Theodosius minor Iuliano P. V. Afr. ita rescripsit. Damna patrimonij pœnásque pecuniarias euidenter imponimus viris, mulieribus, personis singulis, & dignitatibus pro qualitate sui quæ debeant irrogari. Si igitur Proconsulari, aut Vicariano, vel comitiuæ primi ordinis quisq; honore succinctus, nisi ad obseruantiam catholicam mentem propositúmque reuerterit, ducentas argenti libras cogetur exsoluere, fisci nostri vtilitatibus aggregandas. Ac ne solum id putetur ad resecandam intentionem posse sufficere, quotiescunque ad cõmunionem talem accessisse fue-

Leg. 44. Cod. Theodos. vt supra.

rit confutatus, totiens multam exigatur, & si quinquies eundem constiterit, nec damnis ab errore reuocari, tunc ad nostram clementiã referatur, vt de solida eius substantia ac de statu acerbius iudicemus. Huiusmodi autem cõditionibus etiam honoratos reliquos obligamus, scilicet vt senator qui nullo munitus extrinsecus priuilegio dignitatis, in grege Donatistarũ inuentus, centũ libras soluat argẽti, sacerdotales eandem summam cogãtur exoluere decemprimi curiales quinquaginta libras argenti addicantur, reliqui decuriones decẽ libras soluant argenti, quicunque in hæresi maluerunt permanere. Adiungit lege missa ad seleucum. P.P. Ne quidẽ domus nostræ homines ab huiusmodi censu-

leg. 42. ibi ra habeãtur immunes. Vxores quo-

que eorũ maritalis segregatim multa cõstringat. Eos autẽ quos nequaquam illata damna correxerint, facultatum omnium publicatio subsequetur. Eorum itaque bona publicari edixerunt, quos non emendaret, aut admonitio, aut aliquod intertrimentũ pecuniæ, sed fere nulla prius indicta multa, possessionib⁹ spoliarũt hęreseon doctores, leg. 24. 26. & 44. Cod. Theodosi. titulo toties adnotato, iisdem pœnis, interdũ affecerunt rectores prouinciarũ ac iudices, qui hęresibus dormiunt aulicos atque alios, quorum fomentis, & auxiliis nituntur & consistunt hæreses, de quibus suo loco attigimus. Interdum omnes sectatores hac pœna inuoluũt, vt Honorius & Arcadius dixerunt. Volumus hæreticorum esse publicum crimen, quia *Leg. 30. ibi*

quod in religionem diuinam com-
Leg.30.ibi mittitur in omniũ fertur iniuriam. Hos bonorum etiam publicatione prosequimur.

De exilio. *Cap. XI.*

QVia corrumpunt bonos mores colloquia praua: quoniam hæresis cancer est, vt cõtagione serpat, & malum quod vicina depopuletur, quoniam facile subigit solitudo, vt inimica & ingratissima homini, his de causis bene consulti imperatores deportarũt, qui ad ecclesię fidem non redirent admoniti. Ait Theodosius minor: Manichęos, hæreticos, scismaticos, omnémque sectam catholicis inimicam ab ipso
Leg.53.55. Theo.Cod. vt supra. aspectu vrbis Romæ exterminari præcipimus, vt nec præsentia crimi-

nosorum fœdentur. Nisi ad cõmunionis redierint vnitatem expulsi vsque ad centesimum lapidem solitudine quam eligunt, macerentur. Iustinianus in Anthimum ita loquitur: illi huius vrbis regiæ, eiúsque cõfiniorum, & alicuius insignioris ciuitatis ingressu interdicimus, sed vt in solo aliquo loco desideat, & silentio, neque alios corrumpat, neque ad proferendas blasphemias eos inducat, neque contra vera dogmata noui aliquid inueniat, per quod denuo nobis sacrosanctas ecclesias perturbare studeat. Hæresiarcharũ constans & assueta fuit ablegatio, Arrij per Cõstantinum, Eunonij & aliorum per Theodosiũ Magnum, Nestorij per Theodosium Minorem, Eutychetis per Martianum, atque aliorum deinceps suo ordine. Deni-

Nouel. 42.

Leg. 28. *ibi*

que quinque hominum generibus illis, de quibus antea diximus, denũciatur poſt bonorum præſcriptionem exilium. Præter eos deportabantur qui temere & audacius ſacris diſputationibus ſe admiſcerent.

Leg. 35. ibi Cod. Theo. Ab honorio & Arcadio concluditur. Secluſa omni executione cenſemus, & proſcriptos eos in exilium detrudi qui audeant diſputare ea & adferre, quæ inſtitutio diuina condemnat. Ab eodem cũ Theodoſio

Leg. 3. ibi. patre & Valentiniano breui ſententia pronuntiatur. Deportatione dignus eſt, qui nec generali lege admonitus, nec cõpetenti ſententia emendatus, & fidem catholicã turbat & populũ. Poſtremo quos hæc pœna inuoluat Thedoſius minor ſcripſit

Leg. 54. ibi Georgio. Nouerint omnes hæreſes ſacrilegas ſuperſtitiones, auctores,

participes, consocios, proscriptione plectendos.

De mortis supplicio. *Cap. XII.*

CVm nec met⁹ retineret, nec multa cohiberet hæreses, nec exiliũ deterreret, Principes summis morbis adhibuerunt summa remedia. Hęresis enim oppressura est, nisi opprimatur. Ideo minor Theodosius sic minitatur eis quos exilium non emolliret: Si qui pertinaci improbitate vetita & damnata repetiuerit, sciat se austeriorẽ sententiam subiturum. Idem per experientiam prudentior effectus, superiorum imperatorum mansuetudine factiones nõ extinctas, sed adauctas, moriendum omnibus deprehensis promulgat. Quoniam veteri sententia (ait

Nouella de Iudæis Samarita. & hæreticis. ſicut paulò antè citabamus) deſperatis morbis nulla eſt adhibenda curatio, ne ferales ſectæ in vitam immemores noſti ſeculi indiſcreta cõfeſsione licentius euagentur, hac victura in omne ęuum lege ſancimus, vt bona ſua proſcripta cernat, mox pœnæ ſanguinis deſtinãdus quicunque fidem alterius expugnauit peruerſa doctrina. Antea à Cõſtantino & aliis capite dãnatos narrabamus apud quos aſſeruarentur hæreticorum libri, cuius cõſtitutionis argumento, idem ſupplicium decretum fuit receptoribus ab Arcadio & Honorio, qui Eutychiano ſcripſerunt: Fundi procurator & domus vrbanę villicus, in quibus profana myſteria fuerint celebrata, vltimo ſupplicio feriantur. Theodoſius Maior cum Valentiniano & Arcadio in ſeditio-

Leg. 24. & 26. Co. Theodoſi. vt ſupra.

ſos eadem pœna animaduertẽdum hoc edicto cenſuerunt. His qui ſibi tantummodo exiſtimant colligendi copiam cõtributam, ſi turbulentum quidpiam contra noſtræ tranquilitatis præceptum faciendũ eſſe tentauerint, vt ſeditionis authores, pacíſque turbatæ eccleſiæ maieſtatis capite ac ſanguine ſint ſupplicia luituri. Theodoſius Minor cum Honorio patruo comperit ex aliqua omnino licentia hæreticos inſoleſcere, & imminere fidei catholicæ periculum. Ideo alio decreto, patris atque aui ſanctionẽ ſuſtulit. Oraculo penitus remoto, inquit, quo ad ritus ſuos hęreticos ſuperſtitionis obrepſerũt, ſciant omnes ſanctę legis inimici plectendos ſe pœna proſcriptionis & ſanguinis, ſi vltra conuenire per publicum execranda

Leg. 1. ibi.

Leg. 41. & 46. ibi.

ſceleris ſui temeritate tẽtauerint, ne qua vera diuináque reuerentia contagione temeretur. Honorius & Arcadius Eunomianę ſuperſtitiõis, ſeu miniſtros ſeu clericos præcipiunt ademptis bonis vltima animaduerſione plecti, ſi poſt publicatã iuſsionem contra eos in qualibet vrbe aut domo fuerint deprehenſi. Contra hæreſeon doctores legem cõfirmat Martianus. Vltimo, ait, ſupplicio coerceantur, qui illicita docere tentauerint. Iſta ferè ſunt, quæ extant edicta à primis illis catholicis imperatoribus contra hæreticos cõſtituta.

Leg. 24. ibi

Leg. 8. Cod. de hæreticis

Quando iudicium capitis cœperit exerceri in hæreticos. Cap. XIII.

HIſtoriarum mirum eſt ſilentiũ, a quo tempore capitis pœna execu

executioni demãdata sit ĩ hęreticos. Sub initiũ Valẽtiniani & Valẽtis imperatorum obrepsit Messalianorum secta in ecclesiam. Horũ mores non dissimiles admodum nostris hæreticis erant. Coibant in cœtum, interdum sub dio, & pernoctabãt in oratione, canebant promiscuè viri cum mulieribus, nec cibi statum tempus, nec horam obseruabant, ventri obsequebantur ad cupiditatem. Quoniam à quibusdam principibus, ait Epiphanius, neci traderẽtur, se Martyrianos vocitarunt. Priscillianus cũ aliquot suis in Gallia extremo supplicio affectus est à Maximo, tẽpore Valentiniani secundi & Theodosij Magni. Non dubito si ad Honorij & Arcadij imperium superuixisset Eunomius, quin morte meritas pœnas luisset, cum Eutropij prępo-

Epiphanius de Messalianis.

siti opera eius omnes libri publicè cremati sint, & cadauer sepulchro extractum ac proiectũ. Iustini iussu lingua Seuero episcopo præcisa ob hæreticas blasphemias, & vt petulantes lubricitatis pœnas penderet. Communi senatus vtriusq; & ecclesiastici & Palatini decreto, Alexius Comnenus imperator Cõstantinopoli Basilium seu medicum, seu monachum Bogomilorum ducem cõburi fecit. Cabades Persarum senatusconsulto Manichæos omnes ad vnum, vno die sustulit, vt antea narrabamus. Bis lego disputatũ an iure cæderentur à principibus hæretici. Semel in occidentem à D. Martino & Ambrosio in causa Priscilliani. De aliis nostris Theologis tractatum est à Caluino, & Beza atque aliis, & à nobis separatim tracta-

Nicepho. lib. 13 cap. primo.

Nicepho. lib. 17. ca. 2

Zona to. 3. Euthym. parte 2. titu. 23.

Seuer. Sulpit. lib. 2. Chronicon Ambros. epistol. 27.

bitur copiosius. Deinde in Oriente actum est, cum Michael imperator catholicus in filij inauguratione ad imperium capitalem animaduersionem in Manichæos seu Paulicianos, hortatu Nicephori patriarchæ ac piorum pronũciauit. Aduersatũ est autem per alios nequam consiliarios obtentu pœnitentiæ, quasi in viam essent redituri. Dogmatisabãt illi, ait P. diaconus, non licere sacerdotibus promulgare contra impios mortem. Nostro tempore ea de re disputationes habitas prætermitto. Vnus Beza libro de hæreticis puniendis à ciuili magistratu abundè suppeditabit, & in caput suum feret de hęresi sentẽtiam. Nam his criminibus omnibus tenetur, quibus singulis illi primi principes aliquẽ hæresis reum declararunt, vt antea

Pau. Diaco. lib. vlt.

perstrinximus. Si ad Dei verbũ prouocat, Vvestphalus & Timaus pastor Bremensis, atque omnis schola lutherana, vt de nobis taceã, ex eodem Dei verbo carnificibus tradet, quibus Ceruetum tradidit. Audiui Seuerum Sulpitium de Priscilliani historia, quasi tabulã absolutionis per domos iudicum aliquorum circumlatum, cum adhuc in Gallia exercerentur iudicia de capite pro religione ex Christianissimorum regum edictis, atq; ex ea historia plus damni nostrę fidei, quàm à Caluino libris & emissariis illatum. Nõ enim vltro citróque intrepide commeassent, & ad factionem tot homines sollicitassent, si cõflagratio nõ fuisset temere restincta, & à nonnullis quasi fides publica data religionis & Reipub. perturbatoribus. Mihi si

ſi licet de priſcilliani negotio ſenten tiam dicere, nō videtur ſuppliciū in flictum potuiſſe improbari à ſanctis Martino & Ambroſio. Nefas enim eſt Magos & maleficos, vt conuincebatur Priſcillianus cū ſuis, nefas, publicos ſtupratores, & matrimoniorum, præſertim inuerecundos & palàm adulteros, nefas in Deum prodigioſe blaſphemos ſinere viuere. Abſit à tantæ ſanctitatis & ſpiritus viris ea ſententia, quæ omnibus flagitiis, ſacrilegiis & criminibus, diſſolutam licentiam impetret. Illis ergo diſplicuit, vt fert hiſtoria, prius de religione in aula iudicatū, quàm in eccleſia: prius epiſcopos principum tribunalibus oblatos, quàm eccleſiaſticis ſuffragiis damnarentur, aut tentaretur an flecti poſſent & emendari: poſtremò viſum eſt eis mi- *Seuer. Sulpit. lib. 2.*

nime decere episcopos alterius caput petere à principe, prætermißis omnibus quæ antea fuerant experiunda. Ad hæc notandum Burdegalensem synodum his in rebus dissensisse ab illis duobus, & si summis viris. Nam episcoporũ, qui in ea synodo adfuissent authoritate ac mandato factum Ithacius episcopus de procurata morte Priscilliani accusatus, defendit. Idcirco prudenter Vincentius collegit de Priscilliano sumptũ supplicium, partim ab episcopis comprobatum, partim damnatum, non quia omnino illatum, sed quia illegitime postulatũ. Certe Hieronymus laudat damnatum Priscillianum seculi gladio & totius orbis authoritate. Non omittam accidisse S. Ambrosio, Martino & Seuero Sulpitio, quod omnibus ferè

Ad Ctesiphontẽ contra Pelagianos.

præstantioribus in ecclesia viris accidit. Peccarunt clementia in hæreticos & facilitate, cuius si vixissent, pœnituisset, vt Augustinum, vt Gregorium Nanzianzenum pœnituit. Nec diu illis fuit expectandum, vt intelligerent, vnde plus commodi importaretur ecclesiæ, ex seueritate in Priscillianistas, an ex vitæ concessa vsura. Leo non magno annorum interuallo ab illis remotus, duas de Priscillianistis adauctis causas affert quæ Galliam nostram perdiderunt, bella, & eorum occasione hæreticorum impunitatẽ. Ita scribit ad Turbium episcopum de Priscillianistis. Merito patres nostri, sub quorũ temporibus hæresis hęc nefanda prorupit per totum mundum instanter egere, vt impius furor ab vniuersa ecclesia pelleretur, quando etiã prin

Epist. 48. & lib. 2. Retracta. cap. 5.

Epist. 93.

cipes mundi, in hanc ſacrilegiorum amentiam ita deteſtati ſunt, vt authorem eius ac pleroſque diſcipulos legum publicarum enſe proſternerent. Videbant enim omnem curam honeſtatis auferri, omnem con iugiorum copulam ſolui, ſimúlque diuinum ius, humanúmque ſubuerti, ſi huiuſmodi hominibus vnquã viuere cum tali profeſsione licuiſſet. Ex quo verò per multas prouintias hoſtilis occupauit irruptio, & executionem legum, tempeſtates in terdixere bellorum, ex quo inter ſacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt eſſe conuentus, inuenit ob publicam perturbationem ſecreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium ſubuerſionem his malis eſt incitata, quibus debuit eſſe correcta. Faxit Deus ne noſtro-

rum

rum temporum licentia post bella euadat in aliquod magnũ malum; & ne antequam consenescamus, cogamur verbis Nazianzeni pœnitere, quibus ille errorem fatetur. Ipsa quoque cana senectus, ait, nonnihil adhuc eruditur ac docetur, & non omnino, vt putatur, digna est, cui omnia prudentiæ gratia credantur. Ego quippe, cui potissimum nota est Apollinaristarum sententia & impietas, cum animaduerterem intolerabilem illorum arrogantiam ac vecordiam, putabam illos per patientiam & lenitatem animi mansuefieri, ac sensim emolliri posse: quemadmodum & spem istam aliquando prosequutus sum: verùm per ignorantiã illos hac lenitate peiores etiã, vt apparet, reddidi, & ec- *Ad olympium.*

clesiæ per intempestiuam philoso-
phiam nocui. Peruersi nanque nul-
la flectuntur æquitate ac mansue-
tudine.

F I N I S.

INDEX CAPITVM ET RErum quæ in his duobus libris continentur.

Index rerum & capitum quæ in libello inscripto, Methodus contra sectas, quam sequuti sunt catholici principes, continentur.

Finis indicis capitum & rerum.

Extraict du Priuilege.

IL est permis à Claude Fremy, libraire à Paris, imprimer & exposer en vente tant en Latin que Francois ce present liure intitulé Ad edicta veterum Principum de licētia Sectarum in Christiana religione, &c. composé par F. Claude de Sainctes, docteur en Theologie: auec deffence à tous autres de ne l'imprimer ou vendre tant Latin que Francois, iusques à quatre ans, sur les peines contenues au priuilege dōné à Paris, le dernier iour de Iuin, l'an mil cinq cens soixante & vn.

Errata insigniora.

In libri inscriptione Psal. 42. fol. 11. De Iuliano postea. Valens diutius Antiochiæ commoratus. fol. 14. perfidi Iehu. fol. 16. Annotādum fuit exemplaria corrupta. fol. 22. pag. 2. Coactus Christianos dimittere edictum scriptum non publicauit. fol. 36, pag. 2. nec vnam voluntatem. fol. 46. protexissent. fol. 55. Constantium. fol. 78. pag. 2. de duabus. fol. 84. præsentia fol. 111. vt petulantis. In Occidente.